
Plautus - Mostellaria - 1852.




HARVARD·COLLEGE·LIBRARY
VE RI TAS
FROM THE LIBRARY OF
FREDERICK LEWIS GAY
CLASS OF 1878
OF BROOKLINE
MASSACHUSETTS
MD·CCCC·XVI



T. MACCI PLAVTI

MOSTELLARIA.

SCHOLARVM IN VSVM

RECENSVIT

FRIDERICVS RITSCHELIVS.

BONNAE

H. B. KOENIG

SVMPTVS FECIT

A. MDCCCLII.

T · MACCI · PLAVTI

MOSTELLARIA.

GRAECA PHASMA.

ARGVMENTVM.

Manumísit emptos sŭos amores Phílolaches,
Omnémque absente rém suo absumít patre.
Senem, út reuenit, lúdificatur Tránio:
Terrífica monstra dícit fieri in aédibus,
Et índe pridem esse émigratum. intéruenit
Lucrípeta faenus faénerator póstulans,
Ludósque rursum fít senex: nam mútuom
Accéptum dicit pígnus emptis aédibus.
Requírit quae sint: ăit uicini próxumi.
Inspéctat illas: póst se derisúm dolet,
Ab sŭi sodale gnáti exoratúr tamen.

PERSONAE.

TRANIO SERVOS
GRVMIO SERVOS
PHILOLACHES ADVLESCENS
PHILEMATIVM MERETRIX
SCAPHA ANCILLA
CALLIDAMATES ADVLESCENS
DELPHIVM MERETRIX
PVER
THEVROPIDES SENEX
MISARGYRIDES DANISTA
SIMO SENEX
PHANISCVS ADVORSITOR
ADVORSITOR
LORARII.

ACTVS I.

GRVMIO. TRANIO.

GRVMIO.

Exi é colina sís foras, mastígia,
Qui mi ínter patinas éxhibes argútias.
Egrédere, erilis pérmicies, ex aédibus.
Ego pól te ruri, sí uiuam, ulciscár probe.
Exi ínquam, nidorícape. nam quid híc lates?

TRANIO.

Quid tíbi malum hic ante aédis clamitátiost?
An rúri censes te ésse? abscede ab aédibus.
Abi rús: abi hinc dierécte. abscede ab iánua.
En:
Hocíne uolebas?

GRVMIO.

Périi. quor me uérberas?

TRANIO.

Quia tú uis.

---

3. *permicies* antique pro *pernicies*, ut v. 1 *colina* pro *culina*.

GRVMIO.

Patiar. síne modo adueniát senex:
Siue módo uenire sáluom, quem absentém comes.

TRANIO.

Nec uéri simile lóquere nec uerúm, rupex,
Comésse quemquam ut quísquam absentem póssiet.

GRVMIO.

Tu urbánus uero scúrra, deliciaé popli,
Rus míhi tu obiectas? sáne credo, Tránio,
Quod te ín pistrinum hau scís actutum trádier.
Cis hércle paucas témpestates, Tránio,
Augébis ruri númerum, genus ferrátile;
Nunc dúm lubet licétque, pota, pérde rem,
Corrúmpe erilem nóstrum adulescentem óptumum:
Diés noctisque bíbite, pergraecámini:
Amícas emite, líberate: páscite
Parasítos: obsonáte pollucíbiliter.
Haecíne mandauit tíbi, quom peregre hinc ít, senex?
Hocíne modo hic rem cúratam offendét suam?
Hocíne boni esse offícium serui exístumas,
Vt erí sui corrúmpat et rem et fílium?
Nam ego illúm corruptum dúco, quom his factís studet.
Quo némo adaeque iúuentute ex omni Attica
Antehác est habitus párcus nec magis cóntinens,
Is núnc in aliam pártem palmam póssidet.
Virtúte id factum tŭast, magisterió tuo.

TRANIO.

Quid tíbi malum me, aut quíd ego agam, curátiost?

An rúri quaeso nón sunt quos curés bouis?
Lubét potare, amáre, scorta dúcere:
Mei térgi facio haec, nón tui fidúcia.

G R V M I O.

Quam cónfidenter lóquitur.

T R A N I O.

At te Iúppiter
Dique ómnes perdant: fú, oboluisti álium,
Germána inluuies, [rús merum,] hircus, hára suis,
Canés capro commíxta.

G R V M I O.

Quid uis fíeri?
Non ómnes possunt ólere unguenta exótica.
Si tú oles * * * * * *
*** * * neque supérior cum ero accúmbere,**
Neque tám facetis, quám tu uiuis, uíctibus
*** * * * * * * ***
Tu tíbi istos habeas túrtures piscís auis:
Sine me áliatum fúngi fortunás meas.
Tu fórtunatu's, égo miser: patiúnda sunt.
Meúm bonum me, té tuum maneát malum.

T R A N I O.

Quasi ínuidere hoc míhi uidere, Grúmio,

43—46 sic fere supplendi:
Si tú oles, [at istis égo placére haud póstulo
Munditiis,] neque supérior cum ero accúmbere,
Neque tám facetis, quám tu uiuis, uíctibus
[Aetátem exigere et déliciis uoluptáriis.]

Quia mihi benest et tíbi malest. dignissumumst.
Decét me amare et té bubulcitárier,
Me uíctitare púlcre, te miserís modis.

GRVMIO.

O cárnuficium críbrum, quod credó fore:
Ita té forabunt pátibulatum pér uias
Stimúleis [terebris], húc si reueniát senex.

TRANIO.

Qui scís, an tibi istuc príus eueniat quám mihi?

GRVMIO.

Quia númquam merui: tú meruisti et núnc meres.

TRANIO.

Orátionis óperam compendí face,
Nisi té mala re mágna mactarí cupis.

GRVMIO.

Eruóm daturin' éstis, bubus quód feram?
Date, sí non estis. [céterum] agite pérgite,
Quoniam óccepistis: bíbite, pergraecámini,
Este, écfercite uós, saginam caédite.

TRANIO.

Tace átque abi rus: ego íre in Piraeúm uolo
In uésperum paráre piscatúm mihi.
Eruóm tibi aliquis crás faxo ad uillam ádferat.
Quid ést, quod tu me núnc optuere, fúrcifer?

GRVMIO.

Pol tíbi istuc credo nómen actutúm fore.

TRANIO.

Dum intérea sic sit, ístuc 'actutúm' sino.

GRVMIO.

Ita fít: set unum hoc scíto, nimio célerius
Veníre quod tu nólis, quam illut quód petas.

TRANIO.

Moléstus ne sis: núnc iam rus te ámoue.
Ne tu érres, non mihi praéterhac faciés moram.

GRVMIO.

Satin' ábiit neque quod díxi flocci exístumat?
Pro di immortales, óbsecro uostrám fidem,
Facito húc ut redeat nóster quam primúm senex,
Triénnium qui iam hínc abest, priusquam ómnia
Periére, et aedes ét ager. qui nisi núnc redit,
* * * * * * * * *
Paucórum mensum súnt relictae réliquiae.
Nunc rús abibo: nam híc quom erilem fílium
Videó corruptum ita éx adulescente óptumo,
* * * * * * * * *

80—85 tales olim fuisse credibile est:

qui nisi núnc redit,
[Famé pereundumst fámiliae omni, quippe quoi]
Paucórum mensum súnt relictae réliquiae.
Nunc rús abibo: nam híc quom erilem fílium
Videó corruptum ita éx adulescente óptumo,
[Nimiaé pol ea res diuidiaest animó meo.]

ACTVS II.

PHILOLACHES.

Recórdatus múltum sum et dĭu cogitáui
Argúmentaque ín pectus múlta institúui,
[Ego átque in meó corde, si ést quod mihí cor,
Eám rem uolútaui et dĭu disputáui,]
Hominém quoius réi similem ésse arbitrárer [simulacrumque habere.]
Id répperi iam exémplum.

---

85. In hoc cantico quae uncis inclusa sunt, post Plautinam aetatem accesserunt. Metra haec sunt:

Bacchiaci tetrametri acatalecti v. 85—89. 91—93. 95—97. 99—101. 120—123. 126; trimetri acatalecti v. 94. 124. 125; dimetri acatalecti v. 127. 129.

Iambici dimetri catalectici v. 90. 98. 102.

Iambici octonarii v. 103. 104. 107. 118. 128. 132. 142. 143—146—148.

Cretici tetrametri acatalecti v. 105. 106. 110—112. 114. 137—140. 144. 150. 152. 153; dimetrus acatalectus v. 151.

Compositi e cretico dimetro et trochaica tripodia catalectica v. 108. 109. 113. 116. 133—136. 141. 149.

Trochaici septenarii v. 115. 117. 119. 130. 131. 145. 154—156.

Nouárum aedium ésse arbitrór similem ego hóminem,
Quando híc natus ést. ei rei argúmenta dícam.
[Atque hóc haut uidétur ueri simile uóbis:
At ego íd faciam ita ésse ut credátis.
Proféc̄to esse ita út praedicó uera uíncam.]
Atque hóc uosmet ípsi, sció, proinde utí nunc
Ego ésse autumó, quando dícta audiétis
Mea, áliter hau dicétis.
[Auscúltate, argúmenta dúm dico ad hánc rem:
Simúl gnaruris uos uolo ésse hanc rem mécum.]
Aedés quom extempló sunt parátae, expolítae,
Factaé probe examússim,
Laudánt fabrum atque aedís probant: sibi quísque inde exemplum éxpetunt.
[Sibi quísque similis uólt suo sumptu: óperam non parcúnt suam.]
'Atque ubi illo ínmigrat néquam homo indíligens,
Cúm pigra fámilia, inmúndus, instrénuos,
Hic iam aédibus uitium ádditur, bonaé quom curantúr male.
'Atque illut saépe fit: témpestas uenit,
Cónfringit tégulas ímbricesque: ibi
Dóminus indíligens réddere aliás neuolt.
Vénit imber, pérlauit párietes, pérpluont
Tígna, putéfacit áer operám fabri:
Néquior fáctus iamst úsus aedium.
'Atque ea haut ést fabri cúlpa, set mágna pars
Mórem hunc induxérunt: si quid númmo sarcirí potest,
'Vsque mantánt neque id fáciunt, donicum

Párietes ruónt: tum aedificant aédis totas dénuo.
Haec árgumenta ego aédificiis díxi: nunc etiám uolo
Dícere, ut homines aédium esse símilis arbitrémini.
Primúmdum paréntes fabrí liberúm sunt.
Ei fúndamentúm substruónt liberórum,
Extóllunt, paránt sedulo ín firmitátem,
Vt in úsum boní sint et ín speciem pópulo:
Sibíque aut matériae nepárcunt,
Nec súmptus sibi súmptui esse dúcunt.
[Expóliunt, docént litterás, iura, léges
Suo súmptu et labóre.]
Nitúntur ut alií sibi esse illórum símilis éxpetant.
Ad légionem quom ítur,
'Adminiculum eís danunt tum iam áliquem cognatúm suum:
Prótenus abeunt á fabris. ubi émeritumst stipéndium,
Igitúr tum specimen cérnitur, quo euéniat aedificátio.
Nám ego ad illút frugi usque ét probus fui,
'In fabrorúm potestáte dum fui.
Póstea, quom ímmigraui íngenium in meum,
Pérdidi operám fabrorum ílico oppido.
Vénit ignáuia: ea míhi tempestás fuit,
Quaé mi aduentú suo grándinem, imbrem áttulit.
Haéc uerecúndiam mi ét uirtutís modum
Déturbauít detexítque de me ílico.
Póstilla optígere eam néglegens fui:
Contínuo pro imbre amór aduenit * * * *

---

142. ***aduenit in cor meum*** **vulgo: quae non sunt Plautina.**

Is úsque in pectus pérmanauit, pérmadefecit cór meum.
Núnc simul rés, fides, fáma, uirtús, decus
Déseruerunt: égo sum in usu fáctus nimio néquior.
Atque édepol ita tigna úmide haec pútent, non uideór mihi
Sarcíre posse aedís meas, quin tótae perpetuaé ruant,
Cum fúndamento périerint, nec quísquam esse auxilió queat.
Cór dolet, quóm scio ut núnc sum atque ut fui:
Quó neque indústrior dé iuuentúte erat
['Arte gymnástica]
Dísco, hastís, pila, cúrsu, armís, equo,
* * * * uíctitabát uolup.
Pársimonia ét duritia dísciplinae aliís eram:
['Optumi quique éxpetebant á me doctrinám sibi:]
Núnc, postquam nihilí sum, id uero mĕopte ingenio répperi.

PHILEMATIVM. SCAPHA. PHILOLACHES.

PHILEMATIVM.

Iam prídem ecastor frígida non láui magis lubénter,
Nec quód me melius, méa Scapha, rear ésse deficátam.

SCAPHA.

Euéntus rebus ómnibust, uelut hórno messis mágnast.

---

153 hoc exemplo supplendus:
[*Néc minus súo animo*] *uíctitabát uolup.*

157 sqq. iambici septenarii.

158. *deficatam* h. e. *defaecatam.*

PHILEMATIVM.

Quid éa nam messis áttinet ad mĕam lauatiónem?

SCAPHA.

Nihiló plus quam lauátio tua ad méssim.

PHILOLACHES.

O Venus uenústa,
Haec íllast tempestás mea, mihi quaé modestiam ómnem
Detéxit tectus quá fui, quom míhi Amor et Cupído
In péctus perpluít meum: neque iam úsquam obtegere póssum.
Madént iam in corde párietes: periére haec oppido aédes.

PHILEMATIVM.

Contémpla amabo, méa Scapha, satin' haéc me uestis déceat.
Volo mé placere Phílolachi, meo océllo, meo patróno.

SCAPHA.

Quid tú te exornas, móribus lepidís quom lepida túte's?
Non uéstem amantes múlieris amánt, set uestis fártum.

PHILOLACHES.

Ita mé di ament, lepidást Scapha: sapít scelesta múltum.
Vt lépide ea omnis rés tenet senténtiasque amántum.

PHILEMATIVM.

Quid núnc?

SCAPHA.

Quid est?

PHILEMATIVM.

Quin me áspice et contémpla, ut haec
me déceat.

SCAPHA.

Virtúte formae id éuenit, te ut déceat quicquid hábeas.

PHILOLACHES.

Hercle égo ob hoc uerbum té, Scapha, donábo hodie aliqui [mérito],
Neque pátiar te istanc grátiis laudásse, quae placét mi.

PHILEMATIVM.

Nolo égo te adsentarí mihi.

SCAPHA.

Nimis tú quidem stulta's múlier.
Eho,
An máuis uituperárier falsó quam uero extólli?
Equidém pol uel falsó tamen laudári multo málo,
Quam uéro culpari aút meam speciem álios inridére.

PHILEMATIVM.

Ego uérum amo: uerúm uolo mihi díci: mendacem ódi.

SCAPHA.

Ita tú me ames, ita Phílolaches tuus té amet, ut uenústa's.

PHILOLACHES.

Quid aís, scelesta? quómodo adiurásti? ita ego istam amárim?
Quid? 'ita haéc me' quor non ádditumst? inf écta dona fácio.
[Periísti: quod promíseram tibi dóno, perdidísti.]

SCAPHA.

Equidém pol miror tám catam, tam dóctam et bene te edúctam
Nunc stúltam stulte fácere.

PHILEMATIVM.

Quin mone quaéso, si quid érro.

SCAPHA.

Tu ecástor erras, quaé quidem illum exóptes unum atque ílli

185 ex interpolatione est.

Morém praecipue síc geras atque álios aspernére.
Matrónae, non meretrícis est, unum ínseruire amántem.

PHILOLACHES.

Pro Iúppiter, nam quód malum uorsátur meae domi íllut?
Di dĕaeque me omnes péssumis exémplis interfíciant,
Nisi égo illam anum interfécero sití fameque atque álgu.

PHILEMATIVM.

Nolo égo mi male te, méa Scapha, praecípere.

SCAPHA.

Stulta's pláne,
Quae illúm tibi aeternúm putes fore amícum et beneuoléntem.
Moneo égo te: te ille déseret aetáte et satietáte.

PHILEMATIVM.

Non spéro.

SCAPHA.

Insperata áccidunt magis saépe quam quae spéres.
Postrémo, si dictís nequis perdúci ut uera haec crédas,
Ex fáctis nosce rém: uide, ego quaé sim et quae fui ánte.
Nihilo égo sum amata sétius, atque úni gessi mórem,
Qui pól me, ubi aetate hóc caput colórem commutáuit,
Relíquit deseruítque me. tibi idém futurum créde.

PHILOLACHES.

Vix cómprimor, quin ínuolem illi in óculos stimulatríci.

PHILEMATIVM.

Solam ílle me solí sibi suo aére liberáuit:
Solám me soli cénseo esse opórtere opsequéntem.

PHILOLACHES.

Pro di ímmortales, múlierem lepidam ét pudico ingénio.

Bene hércle factum, et gaúdeo mihi níhil esse huius caúsa.

SCAPHA.

Inscíta ecastor tú quidem es.

PHILEMATIVM.

Quaprópter?

SCAPHA.

Quae istuc curas,

Vt té ille amet.

PHILEMATIVM.

Quor óbsecro non cúrem?

SCAPHA.

Líberá's iam:

Tu iám, quod quaerebás, habes: ille té nisi amabit últro,
Pro cápite tuo quantúm dedit, perdíderit tantum argénti.

PHILOLACHES.

Perii hércle, ni ego illam péssumis exémplis enicásso.
Illa hánc corrumpet múlierem malesuáda inuitam léna.

PHILEMATIVM.

Numquam égo illi possum grátiam reférre, ut meritust dé me.
Scapha, íd tu mihi ne suádeas, ut illúm minoris péndam.

SCAPHA.

At hoc únum facito cógites, si illum ínseruibis sólum,
Dum tíbi nunc haec aetátulast, in sénecta male querére.

PHILOLACHES.

In ánginam ego nunc mé uelim uorti, út ueneficae* ílli
Faucís prehendám atque énicem sceléstam stimulatrícem.

PHILEMATIVM.

Eundem ánimum oportet núnc mihi esse, grátum ut inpetráui,
Atque ólim, priusquam id éxtudi, quom illí subblandiébar.

PHILOLACHES.

Di pól me faciant quód uolint, ni ob ístam oratiónem
Te líberasso dénuo et ní Scapham enicásso.

SCAPHA.

Si tíbi sat acceptúmst, fore tibi uíctum sempitérnum
Atque íllum amatorém tibi propriúm futurum in uíta,
Morém gerundum cénseo tibi ét capiundas crínis.

PHILEMATIVM.

Vt fámast homini, exín solet pecúniam inueníre.
Ego si bonam famám mihí seruásso, sat ero díues.

PHILOLACHES.

Si quídem hercle uendundúst pater, uaeníbit multo pótius,
Quam té me uiuo umquám sinam egére aut mendicáre.

SCAPHA.

Quid illís futurumst céteris, qui té amant?

PHILEMATIVM.

Magis amábunt,
Quom mé uidebunt grátiam reférre bene meréntí.

PHILOLACHES.

Vtinám meus nunc mórtuos pater ád me nuntiétur,
Vt ego éxheredem méis bonis me fáciam atque haec sit héres.

SCAPHA.

Iam istá quidem absumpta rés erit: dies nóctisque estur, bíbitur,

Neque quísquam parsimóniam adhibét: sagina plánest.

PHILOLACHES.

In te hércle certumst príncipe, ut sim párcus, experíri:
Nam néque edes quicquam néque bibes aput mé hís decem diébus.

PHILEMATIVM.

Si quid tu in illum béne uoles loqui, íd loqui licébit:
Nec récte si illi díxeris, iam ecástor uapulábis:
Vt uídeas eum medúllitus me amáre.

PHILOLACHES.

Oh, probus homó sum:
Quae pró me causam díceret, patrónum liberáui.
Edepól si uel summó Ioui eo argénto sacrufidássem,
Pro illíus capite quód dedi, numquam aéque id bene locássem.

SCAPHA.

Videó te nihili péndere prae, Phílolache omnis hómines.
Nunc, ne éius causa uápulem, tibi pótius adsentábor.
[Si accéptum sat habes, tíbi fore illum amícum sempitérnum.]

PHILEMATIVM.

Cédo mi speculum et cum órnamentis árculam actutúm, Scapha,
Ornata ut sim, quom húc aduenlat Phílolaches uoluptás mea.

SCAPHA.

Múlier quae se súamque aetatem spérnit, speculo ei úsus est:

241—244 hoc se ordine uulgo excipiunt uni Philolachi continuati: 243. 244. 241. 242

247 non Plautinus, sed effictus e v. 224 sq.

248 sqq. trochaici septenarii.

Quíd opust speculo tíbi, quom tute spéculo's specimen míxumum?

PHILOLACHES.

'Ob istuc uerbum, né nequiquam, Scápha, tam lepide díxeris,
Dábo aliquid hodié peculi tíbi, Philematiúm mea.

PHILEMATIVM.

Sŭon quidque locost? uíde capillum, sátin compositust cómmode?

SCAPHA.

'Vbi tu commodá's, capillum cómmodum esse crédito.

PHILOLACHES.

Váh, quid illa pote péius quiquam múliere memorárier?
Núnc adsentatríx scelestast, dúdum aduorsatríx erat.

PHILEMATIVM.

Cédo cerussam.

SCAPHA.

Quíd cerussa nám opust?

PHILEMATIVM.

Malas qui óblinam.

SCAPHA.

'Vna opera ebur hercle átramento cándefacere póstules.

PHILOLACHES.

Lépide dictum de átramento atque ébure. euge, adplaudé, Scapha.

PHILEMATIVM.

Túm tu igitur cedo púrpurissum.

SCAPHA.

Nón do: scita's tú quidem.

Nŏua pictura intérpolare uís opus lepidíssumum?
Nón istanc aetátem oportet pígmentum ullum attíngere,
Néque cerussam mélinumue néque aliam ullam offúciam.
Cápe igitur speculum.

PHILOLACHES.

Eí mihi misero: sáuium speculó dedit.
Nímis uelim lapidém, qui ego illi spéculo dimminuám caput.

SCAPHA.

Línteum cape átque exterge tíbi manus.

PHILEMATIVM.

Quid ita, óbsecro?

SCAPHA.

'Vt speculum tenuísti, metuo né olant argentúm manus:
Ne úsquam argentum te áccepisse súspicetur Phílolaches.

PHILOLACHES.

Nón uideor uidísse lenam cállidiorem ullam álteram.
'Vt lepide atque astúte in mentem uénit de speculó malae.

PHILEMATIVM.

Étiamne unguentís unguendam cénses?

SCAPHA.

Minume féceris.

PHILEMATIVM.

Quápropter?

SCAPHA.

Quia ecástor mulier récte olet, ubi níl olet.
Nám istaec ueteres, quaé se unguentis únctitant, intérpoles,
Vétulae, edentulaé, quae uitia córporis fuco ócculunt,
'Vbi sudor cum unguéntis sese cónsociauit, ílico

'Itidem olent, quasi quom úna multa iúra confudít cocus.
Quíd olant, nesciás, nisi id unum, mále ut olere intéllegas.

PHILOLACHES.

Vt perdócte cúncta callet: níhil hac docta dóctiust.
Vérum illut esse máxuma adeo párs uostrorum intéllegit,
Quíbus anus domi súnt uxores, quaé uos dote méruerunt.

PHILEMATIVM.

'Agedum, contempla aúrum et pallam, sátin' haec me deceát, Scapha.

SCAPHA.

Nón me istuc curáre oportet.

PHILEMATIVM.

Quem óbsecro igitur?

SCAPHA.

Éloquar.

Phílolachem: is ne quíd emat, nisi * * * *
* * * * * quod tíbi placere céuseat.
[Nám amator meretrícis mores síbi emit auro et púrpura.]
Quíd opus est, quod súum esse nolit, íd ei ultro ostentárier?
Púrpura aetas óccultandast: aúrum turpest múlieri.
Púlcra mulier núda erit, quam púrpurata, púlcrior.
[Póste nequiquam éxornatast béne, si moratást male.
Púlcrum ornatum túrpes mores péius caeno cónlinunt.]
Nám si pulcrast, nímis ornatast.

---

284 sq. tales fere olim fuere:
Phílolachem: is ne quíd emat, nisi [*quod té decere cénseat.*
Quód illi placeat, cúra, quam] *quod tibi placere cénseat.*
286. 290. 291 ab hoc loco alieni, quamvis per se boni.

PHILOLACHES.

Nímis diu abstineó manum.
Nám quid hic uos ágitis?

PHILEMATIVM.

Tibi me exórno.

PHILOLACHES.

Ornàtá's satis.
Abi tu hinc intro atque órnamenta haec aúfer. set, uoluptás mea,
Méa Philematiúm, potare técum conlubitúmst mihi.

PHILEMATIVM.

Ét edepol mihi técum: nam quod tíbi lubet, idem míhi lubet.

PHILOLACHES.

Hém, istuc uerbum, méa uoluptas, uílest uigintí minis.

PHILEMATIVM.

Cédo amabo decém: bene emptum tíbi dare hoc uerbúm uolo.

PHILOLACHES.

Étiam nunc decém minae aput te súnt: uel rationém puta:
Tríginta minás pro capite tǔo dedi.

PHIHEMATIVM.

Quor éxprobras?

PHILOLACHES.

Égone id exprobrém, qui mihimet cúpio id opprobrárier,
Néc quicquam argentí locaui iám diu usquam aequé bene?

PHILEMATIVM.

Cérto ego, quod te amo, óperam nusquam mélius potui pónere.

PHILOLACHES.

Béne igitur ratio áccepti atque expénsi inter nos cónuenit:
Tú me amas, ego té amo: merito id fieri uterque exístumat.
Haéc qui gaudent, gaúdeant perpétuo suo sempér bono:
Qui íuuident, numquam ĕorum quisquam inuídeat prosus cómmodis.

PHILEMATIVM.

'Age accumbe igitur. cédo aquam manibus, púere: appone hic ménsulam:
Víde, tali úbi sint. uín unguenta?

PHILOLACHES.

Quíd opust? cum stacta áccubo.
Sét estne hic meus sodális, qui huc incédit cum amicá sua?
'Is est [profecto]: Cállidamates éccumst. euge, oculús meus:
Cónueniunt manupláres eccos, praédam participés petunt.

CALLIDAMATES. DELPHIVM. PHILOLACHES. PHILEMATIVM.

CALLIDAMATES.

Aduórsum ueníri mihi ád Philolachém
Voló temperi. aúdi: hem tibíst imperátum.

---

313. Metra haec sunt:
Bacchiaci tetrametri acatalecti v. 314. 316. 318. 330, catalectici 313. 345, trimetri 317. 319. 322. 331. 332. 344.

Nam illi ubi fui, inde effugi foras:
Ita me ibi male conuiui sermonisque taesumst.
Nunc commissatum ibo ad Philolachem,
Vbi nós hilari ingénio et lepidó [uictu] accípiet.
Ecquíd tibi uideór ma-ma-madére?

DELPHIVM.

Sémper istóc modo [túte] morátu's:
* * * * uíta, debébas.

CALLIDAMATES.

Visne égo te ac tu méd amplectáre?

DELPHIVM.

Sí tibi fácere cordíst, licet.

CALLIDAMATES.

Lépida's.
Dúc me amabó.

DELPHIVM.

Caue né cadas: ásta.

CALLIDAMATES.

Oh óh. ocellus és meus: tuús sum alumnus, mél meum.

DELPHIVM.

Cáue modo, né prius in uia accúmbas,

Cretici tetrametri catalectici v. 320 321. 323. 324. 326. 327. 329 341. 347, acatalectus 334, dimetrus 333.
Compositi e cretico dimetro et tripodia trochaica catalectica 336—340 342. 343, e tripodia trochaica et cretico dimetro 315.
Trochaicus septenarius v. 346, octonarius 335.
Iambici octonarii v. 325. 328.
321 hoc exemplo instaurandus:
[*Animo moderári,* *mea*] *uíta, debébas.*

Quam illi, ubi léctus est strátus, [nos] cŏimus.

CALLIDAMATES.

Siné sine cadere mé.

DELPHIVM.

Sine.

CALLIDAMATES.

Set [né sine] hoc quod mi in manust.

DELPHIVM.

Si cades, nón cades quín cadam técum.

CALLIDAMATES.

Iacéntis tollét posteá nos ambo áliquis.

DELPHIVM.

Madét homo.

CALLIDAMATES.

Tun me ăis ma-ma-madére?

DELPHIVM.

Cedó manum: nolo équidem te adfligi.

CALLIDAMATES.

Hém tene.

DELPHIVM.

Age i i simul.

Quó ego eam, an scis?

CALLIDAMATES.

Scio: in méntem uenit modo:

Némpe domum eo cómissatum.

DELPHIVM.

Immo [húc].

CALLIDAMATES.

Istuc quidém iam memini.

PHILOLACHES.

Núm non uis óbuiam his íre me, anime mi?
'Illi ego ex ómnibus óptume uolo.
Iám reuortár.

PHILEMATIVM.

Diust iám [tuum] id mihi.

CALLIDAMATES.

Écquis hic ést?

PHILOLACHES.

Adest.

CALLIDAMATES.

Eúge, Philolaches.
Sálue, amicíssume míhi hominum omnium.

PHILOLACHES.

Dí te ament. áccuba, [mí] Callidamátes.
'Vnde agis te?

CALLIDAMATES.

'Vnde homo ébrius probe.

PHILOLACHES.

Quín amabo áccubas, Délphium mea?

CALLIDAMATES.

Da illí quod bibát: dormiam égo iam.

DELPHIVM.

Non mírum aut nouóm quippiám [nunc] facít.

PHILOLACHES.

Quíd ego hoc faciam póstea, mea?

DELPHIVM.

Síc sine eumpse.

PHILOLACHES.

Age tu ínterim
Dá cito ab Délphio cántharum círcum.

TRANIO. PHILOLACHES. CALLIDAMATES. DELPHIVM. PHILEMATIVM. PVER.

TRANIO.

Iúppiter suprémus summis ópibus atque indústriis
Mé perisse et Phílolachetem cúpit erilem fílium.
'Occidit spes nóstra: nusquam stábulumst confidéntiae.
Néc Salus nobís saluti iám esse, si cupiát, potest:
'Ita mali maeróris montem máxumum ad portúm modo
Cónspicatus sum. érus aduenit péregre: periit Tránio.
Écquis homost, qui fácere argenti cúpiat aliquantúm lucri,
Quí hodie sese éxcruciari mĕam uicem possít pati?
'Vbi sunt isti plágipatidae, férritribacés uiri,
Vél isti, qui triúm nummorum caúsa subeunt súb falas
Vél ubiquomque dénis hastis córpus transfigí solet?
Ego dabo ei taléntum, primus qui ín crucem excucúrrerit:
Sét ea lege, ut óffigantur bís pedes, bis bráchia;
'Vbi id erit factum, á me argentum pétito praesentárium.
Sét ego sumne infélix, qui non cúrro curriculó domum?

---

348. Perperam hinc novus actus fit vulgo.

PHILOLACHES.

Én adest opsónium: eccum Tránio a portú redit.

TRANIO.

Phílolaches.

PHILOLACHES.

Quid ést?

TRANIO.

Et ego et tu

PHILOLACHES.

Quíd et ego et tu?

TRANIO.

Périimus.

PHILOLACHES.

Quíd ita?

TRANIO.

Pater adést.

PHILOLACHES.

Quíd ego ex ted aúdío?

TRANIO.

Absumptí sumus:

Páter inquam tuus uénit.

PHILOLACHES.

Vbi is est óbsecro?

TRANIO.

[In portú iám] adest.

PHILOLACHES.

Quís id ait? quís uídit?

TRANIO.

Egómet ínquam uidi.

PHILOLACHES.

Vaé mihi.

Quíd ego ago?

TRANIO.

Nam quíd tu malum me rógitas, quid agas? áccubas.

PHILOLACHES.

Túu uidisti?

TRANIO.

Égomet, inquam.

PHILOLACHES.

Cérte?

TRANIO.

Certe, inquam.

PHILOLACHES.

'Occidi,

Sí tu uera mémoras.

TRANIO.

Quid mihi sít boni, si méntiar?

PHILOLACHES.

Quíd ego nunc faciám?

TRANIO.

Iube haec hinc ómnia amolírier.

Quís istic dormit?

PHILOLACHES.

Cállidamates.

TRANIO.

Súscita istum, Délphium.

DELPHIVM.

Cállidamates, Cállidamates, uígila.

CALLIDAMATES.

Vigilo: cédo bibam.

DELPHIVM.

Vígila: pater aduénit peregre Phílolachae.

CALLIDAMATES.

Valeát pater.

PHILOLACHES.

Válet ille quidem atque égo disperii.

CALLIDAMATES.

Dísperisti? quí potest?

PHILOLACHES.

Quaéso edepol te, exsúrge: pater aduénit.

CALLIDAMATES.

Tuus uenít pater?

Iúbe eum abire rúrsum. quid illí réditio huc etiám fuit?

PHILOLACHES.

Quíd ego agam? nam iam híc offendet míserum aduenîens ébrium,

Aédis plenas cónuiuarum et múlierum. miserúmst opus,

'Igitur demum fódere puteum, úbi sitis faucés tenet:

Sícut ego aduentú patris nunc quaéro, quid faciám miser.

TRANIO.

Éccere autem hic déposiuit cáput et dormit. súscita.

PHILOLACHES.

Étiam uigilas? páter, inquam, aderit iam híc meus.

CALLIDAMATES.

Ain tú, pater?

Sóleas cedo mi, ut árma capiam: iám pol ego occidám patrem.

PHILOLACHES.

Pérdis rem: tace amábo. abripite hunc íntro actutum intér manus.

CALLIDAMATES.

Iam hércle ego uos pro mátula habébo, nísi mihi matulám datis.

PHILOLACHES.

Périi.

TRANIO.

Habe bonum ánimum: ego istum lépide medicabó metum.

PHILOLACHES.

Núllus sum.

TRANIO.

Taceás: ego, qui istaec sédem, meditabór tibi.
Sátin' habes, si ego áduenientem ita patrem faciám tuum,
Nón modo ne intro eát, uerum etiam ut fúgiat longe ab aédibus?
Vós modo hinc abite intro atque haec própere hinc amolímini.

PHILOLACHES.

Vbi ego ero?

TRANIO.

Vbi máxume uis ésse, cum hac, cum istác eris.

DELPHIVM.

Quíd igitur, si abeámus hinc nos?

TRANIO.

Nón hoc longe, Délphium.

Nam íntus potato haú tantillo hác quidem causá minus.

PHILOLACHES.

Eí mihi, quam istaec blánda dicta quo éuenant, madeó metú.

TRANIO.

Pótin' ut animo sís quieto et fácias quod iubeó?

PHILOLACHES.

Potest.

TRANIO.

'Omnium primúm, Philematium, íntro abi, et tu Délphium.

DELPHIVM.

Mórigerae tibi érimus ambae.

TRANIO.

'Ita ille faxit Iúppiter.
'Animum aduorte núnc iam tu, quaé uolo accurárier.
'Omnium primúm dum haec aedes iám face occlusaé sient.
'Intus caue muttíre quemquam síueris.

PHILEMATIVM.

Curábitr.

TRANIO.

Támquam si intus nátus nemo in aédibus habitét.

PHILOLACHES.

Licet.

TRANIO.

Neú quisquam respónset, quando hasce aédis pultabít senex.

PHILOLACHES.

Númquid aliut?

TRANIO.

Cláuem mi harunc aédium Lacónicam
Iám iube efferri íntus: hasce ego aédis occludam hínc foris.

PHILOLACHES.

'In tuam custodélam meque et spés meas trado, Tránio.

TRANIO.

Plúma haut interést, patronus án cluens probriór siet:
* * * * * * * * * *
Homini, quoi nulla in péctorest audácia,
[Nam cuiuis homini, uel optumo uel pessumo]
Quamuis desubito fácilest facere néquiter:
Verum íd uidendumst, íd uiri doctist opus,
Quae désignata sint et facta néquiter,
Tranquille cuncta ut próuenant et sine malo,
Ni quid patiatur, quam ób rem pigeat uiuere.
Sicút ego efficiam, quaé facta hic turbáuimus,
Profécto ut liqueant ómnia et tranquilla sint,
Neque quicquam nobis páriant ex se incómmodi.
Set quid tu egredere? périi. ého, iamiam óptume
Praecéptis pares.

PVER.

Érus te iussit máxumo
Opere órare, ut patrem áliquo absterrerés modo,

---

407. probrior a prisco positivo probrus. Intercidit finis sente uti ac 410 ex interpolatione est.
411. Post hunc vulgo iteratur v. 425.
414. 415 inverso ordine vulgo. — ni pro ne.

Ne introíret aedis.

TRANIO.

Quín etiam illi hoc dícito:
Factúrum, ut ne etiam aspícere hasce aedis aúdeat,
Capite óbuoluto ut fúgiat cum summó metu.
Clauím cedo atque abi hínc intro: occlude óstium,
Et ego hínc occludam. iúbe uenire núnc iam:
Ludós ego hodie uíuo praesenti huíc seni
Faciám: quod credo mórtuo numquám fore.
Concédam a foribus húc: hinc speculabór procul,
Vnde áduenienti sárcinam inponám seni.

ACTVS III.

THEVROPIDES. TRANIO.

THEVROPIDES.

Habeó Neptune, grátiam magnám tibi,
Quoniam ámisisti me á te uix uiuóm modo.
Verúm si posthac mé pedem latúm modo
Scies ínposisse in úndam, hau causast, ílico
Quod núnc uoluisti fácere quin faciás mihi.
Apage, ápage te a me núnc iam post húnc diem:
Quod créditurus tíbi fui, omne crédidi.

TRANIO.

Edepól, Neptune, péccauisti lárgiter,
Qui occásionem hanc ámisisti tám bonam.

THEVROPIDES.

Triénnio post Aégypto aduenió domum:
Credo, éxspectatus uéniam familiáribus.

TRANIO.

Nimio édepol ille pótuit exspectátior
Veníre, qui te núntiaret mórtuom.

THEVROPIDES.

Set quíd hoc? occlusa iánuast intérdius.

Pultábo. heus, ecquis ístas aperit mihi foris?

TRANIO.

Quis homóst, qui nostras aédis accessít prope?

THEVROPIDES.

Meus séruos hic quidemst Tránio.

TRANIO.

O Theurópides,

Ere, sálue: saluom te áduenisse gaúdeo.

Vsquín ualuisti?

THEVROPIDES.

Vsque, út uides.

TRANIO.

Factum óptume.

THEVROPIDES.

Quid uós, insanin' éstis?

TRANIO.

Quidum?

THEVROPIDES.

Síc, quia

Foris ámbulatis: nátus nemo in aédibus

Seruát, neque qui reclúdat neque respóndeat.

Pultándo paene cónfregi hasce ambás foris.

TRANIO.

Eho,

An tú tetigisti has aédis?

THEVROPIDES.

Quor non tángerem?

---

449. *Vsquin* pro *usquene.*

Quin púltando, inquam, paéne confregi foris.

TRANIO.

Tetigístin?

THEVROPIDES.

Tetigi, inquam, ét pultaui.

TRANIO.

Váh.

THEVROPIDES.

Quid est?

Quomódo pultare pótui, si non tángerem?

TRANIO.

Male hérele factum.

THEVROPIDES.

Quíd est negoti?

TRANIO.

Nón potest

Dicí, quam indignum fácinus fecisti ét malum.

THEVROPIDES.

Quam ob rem? aút quam subito rém mihi adportás nou

TRANIO.

Occídisti hercle

THEVROPIDES.

Quém mortalem?

TRANIO.

Omnís tuos.

457—467 vulgo sic collocantur: 457. 459. 460. 465. 466. 462—464. 461. 467.

THEVROPIDES.

Di té deaeque omnes fáxint cum istoc ómine

TRANIO.

Metuó, te atque istos éxpiare ut póssies.

THEVROPIDES.

Quid iám?

TRANIO.

Fuge obsecro átque abscede ab aédibus.
Fuge húc, fuge ad me própius: [tene terrám manu:]
Et, heús, iube illos íllim amabo abscédere.

THEVROPIDES.

Apscédite.

TRANIO.

Aedis ne áttigatis. tángite
Vos quóque terram.

THEVROPIDES.

Obsecro hércle, quin [intro ímus huc?]

TRANIO.

Quia séptem menses súnt, quom in hasce aedís pedem
Nemo íntro tetulit, sémel ut emigráuimus.

THEVROPIDES.

Elóquere, quid ita?

TRANIO.

Círcumspicedum, númquis est,
Sermónem nostrum qui aúcupet.

THEVROPIDES.

Tutúm probest.

TRANIO.

Circúmspice etiam.

THEVROPIDES.

Némost: loquere núnc iam.

TRANIO.

Caputále factumst.

THEVROPIDES.

Quíd id est? non intéllego.

TRANIO.

Scelus, ínquam, factumst iám diu antiquom ét uetus,
[Caputále:] id adeo nós nunc factum inuénimus.

THEVROPIDES.

Quid ístuc scelus est aút quis id fecít? cedo.

TRANIO.

Hospés necauit hóspitem captúm manu:
Iste, út ego opinor, qui hás tibi aedis uéndidit.

THEVROPIDES.

Necáuit?

TRANIO.

Aurumque ĕidem ademit hóspiti,
Eumque hic defodit hóspitem ibidem in aédibus.

THEVROPIDES.

Quaprópter id uos fáctum suspicámini?

TRANIO.

Ego dícam: ausculta. út foris cenáuerat
Tuus gnátus, postquam rédiit a cená domum,
Abímus omnes cúbitum, condormíuimus.
Lucérnam forte oblítus fueram extínguere:
Atque ílle exclamat dérepente máxumum.

THEVROPIDES.

Quis homo? án meus gnatus?

TRANIO.

St', tace: auscultá modo.
Ait uénisse illum in sómnis ad se mórtuom.

THEVROPIDES.

Nempe érgo in somnis?

TRANIO.

'Ita: set auscultá modo.
Ait íllum hoc pacto síbi dixisse mórtuom

THEVROPIDES.

In sómnis?

TRANIO.

Mirum, quín uigilanti díceret,
Qui abhínc sexaginta ánnis occisús foret.
Intérdum inepte stúltus es, [Theurópides.]

THEVROPIDES.

Taceó.

TRANIO.

Set ecce, quae ílli ille inquit [mórtuos:]
'Ego tránsmarinus hóspes sum Diapóntius.
Hic hábito: dedita haéc mihist habitátio:
Nam me 'Acheruntem récipere Orcus nóluit,
Quia praémature uíta careo. pér fidem
Decéptus sum: hospes me híc uecauit, ísque me
Defódit insepúltum clam in hisce aédibus,
Sceléstus, auri caúsa. nunc tu hinc émigra:
Sceléstae haec aedes, ímpiast habitătio.'
Quae hic mónstra fiunt, ánno uix possum éloqui.

THEVROPIDES.

St st.

TRANIO.

Quid óbsecro hercle fáctumst?

THEVROPIDES.

Concrepuít foris.

TRANIO.

Haecine percussast? gúttam haut habeo sánguinis:
Viuóm me accersunt Acheruntem mórtui.
Perii: íllisce hodie hanc cónturbabunt fábulam.
Nimis quám formido, né manufesto hic me ópprimat.

THEVROPIDES.

Quid túte tecum lóquere?

TRANIO.

Abscede ab iánua:
Fuge, óbsecro hercle.

THEVROPIDES.

Quór fugiam?

TRANIO.

Etiam tú fugis?

THEVROPIDES.

Nihil égo formido: páx mihist cum mórtuis.

INTVS.

Heus, Tránio.

TRANIO.

Non me áppellabis, sí sapis.
Nihil égo commerui, néque istas percussí foris.

THEVROPIDES.

Quaesó quid [istuc est? quór sermonem] ségregas?

---

510. *illisce* antique pro *illice*.

[TRANIO.

Caue uérbum faxis.

THEVROPIDES.

Quaé r]es te agitat, Tráuio?
Quicum ístaec loquere?

TRANIO.

An, quaéso tu appelláueras?
Ita mé di amabuut, mórtuom illum crédìdi
Expóstulare, quía percussissém foris.
Set tu étiamne astas, néc quae dico optémperas?

THEVROPIDES.

Quid fáciam?

TRANIO.

Caue respéxis: fuge, operí caput.

THEVROPIDES.

Quor nón fugis tu?

TRANIO.

[Síne me: sat, quid agám,] scio.

THEVROPIDES.

[Hem,] quíd modo igitur? cúr tanto opere extímueras?

TRANIO.

Nil mé curassis, ínquam: ego mihi prouídero.
Tu ut óccepisti, tántum quantum quís fuge,
Atque Hérculem inuoca.

THEVROPIDES.

Hércules, te ego ínuoco.

TRANIO.

Et égo, tibi hodie ut dét, senex, magnúm malum.
Pro di ímmortales, óbsecro uostrám fidem,
Quid égo hodie negóti confecí mali.

DANISTA. THEVROPIDES. PVER.

DANISTA.

Sceléstiorem ego ánnum argento faénori
Numquam úllum uidi, quam híc mihi annus óptigit.
A máni ad noctem usque ín foro degó diem:
Locáre argenti némini nummúm queo.

TRANIO.

Nunc pól ego perii pláne in perpetuóm modum.
Danísta adest, qui dédit [argentum faénori,]
Qui amícast empta quóque [opus in sumptús fuit.]
Manuﬁ́ésta res est, nísi quid occurró prius,
Ne hoc núnc senex rescíscat. ibo huic óbuiam.
Set quídnam hic sese tám cito recipít domum?
Metuó ne de hac re quíppiam indaudíuerit.
Accédam atque adpellábo. ei, quam timeó miser.
Nihil ést miserius, quam ánimus hominis cónscius,
Sicút mi habet. uerum útuti sese rés habet,
Pergám turbare pórro: ita haec res póstulat.
Vnde ís?

THEVROPIDES.

Conueni illum, únde hasce aedis émeram.

TRANIO.

Numquíd dixisti de íllo, quod dixí tibi?

532. Rursus hic novum actum praeter rationem ordiuntur vulgo. Ceterum aut huius scenae initio aut in fine superioris quaedam interciderunt.

THEVROPIDES.

Dixi hércle uero ei ómnia.

TRANIO.

Ei miseró mihi:

Metuó ne techinae mĕae perpetuo péricrint.

THEVROPIDES.

Quid túte tecum?

TRANIO.

Níhil enim. set díc mihi:

Dixtíne quaeso?

THEVROPIDES.

Díxi, inquam, ordine ómnia.

TRANIO.

Etiám fatetur de hóspite?

THEVROPIDES.

Immo pérnegat.

TRANIO.

Negát.

[THEVROPIDES.

Negat, inquam.

TRANIO.

Périi, rem] quom cógito.

[Non cónfitetur?

THEVROPIDES.]

Dícam, si conféssus sit.

Quid núnc faciundum cénses?

---

549. Post hunc perperam iterantur vulgo v. 553. 557—559.

550. *techina* antique pro τέχνη, ut *mina* pro μνᾶ, *drachuma* pro δραχμή.

TRANIO.

Ego quid cénseam?
Cape, óbsecro hercle te, úna cum eo iúdicem:
Set eúm uideto ut cápias, qui credát mihi:
Tam fácile uinces, quám pirum uolpés comest.

DANISTA.

Set Phílolachetis éccum seruom Tránium,
Qui míhi nec faenus néc sortem argentí danunt.

THEVROPIDES.

Quo té agis?

TRANIO.

Nequoquam ábeo. ne ego súm miser,
Sceléstus, natus dís inimicis ómnibus.
Iam illó praesente adíbit. ne ego súm miser:
Ita et hínc et illinc mi éxhibent negótium.
Set óccupabo adíre.

DANISTA.

Hic ad me it. sáluos sum:
Spes ést de argento.

TRANIO.

Hílarus est: frustrást homo.
Saluére iubeo té, Misargyridés, bene.

DANISTA.

Saluéto. quid de argéntost?

TRANIO.

Abi sis, bélua:

---

560. *Tranium* forma hypocoristica ut videtur.
562. *nequoquam* h. e. non quoquam, ut *nequiquam*.

tinuo aduenieus pilum iniecisti mihi.

DANISTA.

homóst inanis.

TRANIO.

Híc homo certest áriolus.

DANISTA.

ı tu ístas mittis trícas?

TRANIO.

Quin quid uís, cedo.

DANISTA.

Phílolaches est?

TRANIO.

Númquam potuistí mihi

;is ópportunus áduen[ire quam] áduenis.

DANISTA.

l ést?

TRANIO.

Concede huc.

[DANISTA.

Quín mihi faenus réd]ditur?

TRANIO.

ı té bona esse uóce: ne [clamá nimis.]

DANISTA.

hércle uero clámo.

TRANIO.

Ah, gere morém mihi.

DANISTA.

l tíbi ego morem uís geram?

TRANIO.

Abi quaeso hinc domum.

DANISTA.

Abeám?

TRANIO.

Redito huc círciter merídiem.

DANISTA.

Reddéturne igitur faénus?

TRANIO.

Reddetúr tibi.

DANISTA.

Quid ego húc recursem, aut óperam sumam aut cónteram?
Quid, si híc manebo pótius ad merídiem?

TRANIO.

Immo ábi domum: uerum hércle dico. abi módo domum.

DANISTA.

Quin uós mihi faenus dáte. quid hic nugámini?

TRANIO.

Heu, hércle nunc tu abi módo domum: ausculta mihi.

DANISTA.

Iam hercle égo illum nominábo.

TRANIO.

Euge strénue.

DANISTA.

* * * * * * * * *

---

587. Intercidit talis fere versiculus:
Heus, Philolaches, exi intus, faenus réddito.

TRANIO.

Beátus uero es núnc, quom clamas.

DANISTA.

Mĕum peto.
Multós me hoc pacto iám dies frustrámini.
Moléstus si sum, réddite argentum: ábiero.
Respónsiones ómnis hoc uerbo éripis.

TRANIO.

Sortem áccipe.

DANISTA.

Immo faénus, id primúm uolo.

TRANIO.

Quid aís tu? tun', hominum ómnium taetérrume,
Venísti huc te extentátum? agas quod ín manust.
Non dát, non debet.

DANISTA.

Nón debet?

TRANIO.

Ne grý quidem
Ferre hínc potes. an [uís ali]quo hinc abeát foras
Vrbe éxulatum faénoris causá tui?

DANISTA.

* * * * * * * * *

---

597. Lacunam exple velut hoc versiculo:
Pol, módo mi argentum réddat, abeat quó velit
vel tali:
Quid id ád me? modo nunc réddat argentúm mihi.

TRANIO.

Quin sórtem [iam redhi]bébit.

DANISTA.

Quin eam nón peto:
Mihi faénus reddat, faénus actutúm mihi.

TRANIO.

Moléstus ne sis: némo dat: age quód lubet.
Tu sólus credo faénore argentúm datas.

DANISTA.

Cedo faénus, redde faénus, faenus réddite.
Datúrin' estis faénus actutúm mihi?
Datúrne faenus?

TRANIO.

Faénus illic, faénus hic.
Nescít quidem nisi faénus fabulárier
Veterátor: neque ego taétriorem béluam
Vidísse me umquam quémquam quam te cénseo.

DANISTA.

Non édepol nunc tu me ístis uerbis térritas.

THEVROPIDES.

Quod illúc est faenus, óbsecro, quod illíc petit?

TRANIO.

Pater éccum aduenit péregre non multó prius
Illíus: is tibi faénus et sortém dabit.
Ne incónciliare quíd nos porro póstules.
Vide núm moratur.

---

600. Huius loco vulgo habetur v. 741.

DANISTA.

Quín feram, si quíd datur.

THEVROPIDES.

Quid aís tu?

TRANIO.

Quid uis?

THEVROPIDES.

Quís illic est? quid illíc petit?
Quid Philolachetem gnátum compellát meum
Sic ét praesenti tíbi facit conuítium?
Quid illí debetur?

TRANIO.

Óbsecro hercle te, óbici
Iube huíc argentum ob ós impurae béluae.

THEVROPIDES.

Quíd iúbeam?

TANIO.

Huic homini argénto os uerberárier.

DANISTA.

Perfácile ego ictus pérpetior argénteos.

TRANIO.

Audín? uideturne, óbsecro hercle, idóneus,
Danísta qui sit, génus quod improbíssumumst?

THEVROPIDES.

Non égo nunc istuc cúro, qui sit, únde sit:
Id uólo mi actutum díci, id me scire éxpeto,
Quod illúc argentumst.

622—628 hoc ordine vulgantur: 626—628. 622—625.

TRANIO.

Huíce debet Phílolaches

Paulúm.

THEVROPIDES.

Quantillum?

TRANIO.

Quási quadragintá minas.

THEVROPIDES.

Paulum íd quidemst?

TRANIO.

Ne sáne id multum cénseas.

THEVROPIDES.

Adeo étiam faenus créditum argenti aúdio.

TRANIO.

Quattór quadraginta ílli debentúr minae,

Et sórs et faenus.

DANISTA.

Tántumst: nihilo plús peto.

TRANIO.

Velím quidem hercle ut úno nummo plús petas.

Dic té daturum, ut ábeat.

THEVROPIDES.

Egon dicám dare?

TRANIO.

Dic.

THEVROPIDES.

Égone?

680—682 vulgo sequuntur post v. 652.

TRANIO.

Tu ipsus. díc modo: auscultá mihi.
Promítte, age inquam: ego iúbeo.

THEVROPIDES.

Respondé mihi:
Quid eóst argento fáctum?

TRANIO.

Saluomst.

THEVROPIDES.

Sóluite
Vosmét igitur, si sáluomst.

TRANIO.

Aedis filius
Tuus émit.

THEVROPIDES.

Aedis?

TRANIO.

Aédis.

THEVROPIDES.

Euge, Phílolaches
Patríssat: iam homo in mércatura uórtitur.

TRANIO.

Nam póstquam haec aedes íta erant ut dixí tibi,
Contínuost alias aédis mercatús sibi.

THEVROPIDES.

Aín tu aédis?

TRANIO.

Aedis inquam. set scin quoíusmodi?

THEVROPIDES.

Qui scire possum?

TRANIO.

Váh.

THEVROPIDES.

Quid est?

TRANIO.

Ne mé roga.

THEVROPIDES.

Nam quíd ita?

TRANIO.

* * * * * * *

* * * speculo cláras: clarorém merum.

THEVROPIDES.

Bene hércle factum. quíd, eas quanti déstinat?

TRANIO.

Taléntis magnis tótidem, quot ego et tú sumus.
Set árraboni has dédit quadragintá minas:
* * * * * * * * *
Hinc súmpsit, quas ei dédimus. satin intéllegis?

THEVROPIDES.

Bene hércle factum.

DANISTA.

Heus, iam ádpetit meridies.

---

644. 645 sic fere reconcinnandi:
TH. Nam quid ita? TR. [cor tibi éxsultaturum árbitror:
Magis hércle] speculo cláras, clarorém merum.
649. Excidisse talia credibile est:
Ne ille illas redhíbere ánimum forte indúceret.

TRANIO.

Absólue hunc quaeso, uómitu ne hic nos énecet.

THEVROPIDES.

Aduléscens, mecum rém habe.

DANISTA.

Nempe abs té petam?

THEVROPIDES.

Petitó cras.

DANISTA.

Abeo: sát habeo, si crás fero.

TRANIO.

Malúm quod isti dí deaeque omnés duint:
Ita méa consilia pérturbat paenissume.
Nullum édepol hodie génus est hominum taétrius
Nec mínus bono cum iúre, quam danísticum.

THEVROPIDES.

Qua in régione istas aédis emit fílius?

TRANIO.

Ecce aútem perii.

THEVROPIDES.

Dícisne hoc quod té rogo?

TRANIO.

Dicám: set nomen dómini quaero quíd siet.

THEVROPIDES.

Age cómminiscere érgo.

TRANIO.

Quid ego núnc agam,
Nisi ut ín uicinum hunc próxumum [rem cónferam,]

Eius émisse aedis húius dicam filium?
Calidum hércle audiui esse óptumum mendácium.
[Calidum hóc est: etsi prócul abest, urít male.]
Quicquíd dehinc dicam, núnc id certumst dícere.

THEVROPIDES.

Quid ígitur? iam comméntu's?

TRANIO.

Di istum pérduint.
Immo ístunc potius. dé uicino hoc próxumo
Tuus émit aedis fílius.

THEVROPIDES.

Bonán fide?

TRANIO.

Siquidem és argentum rédditurus, túm bona:
Si rédditurus nón es, non emít bona.

THEVROPIDES.

Non ín loco emit pérbono.

TRANIO.

Immo in óptumo.

THEVROPIDES.

Cupio hércle inspicere hasce aédis. pultadúm foris,
Atque éuoca aliquem huc íntus ad te, Tránio.

TRANIO.

Ecce aútem perii: núnc quid dicam néscio.
Iterúm iam ad unum sáxum me fluctús ferunt.
Quid núnc? non hercle, quíd nunc faciam, réperio.
Manuféсto teneor.

666, qui vulgo post v. 609 legitur, hinc alienus.

THEVROPIDES.

Éuocadum aliquem ócius,
Roga círcumducat: heús tu.

TRANIO.

At hic sunt múlieres:
Vidéndumst primum, utrum ĕae uelintne an nón uelint.

THEVROPIDES.

Bonum aéquomque oras. í, percontare ét roga:
Ego híc tantisper, dum éxis, te opperiár foris.

TRANIO.

Di té deaeque omnes fúnditus perdáut, senex:
Ita méa consilia tu úndique oppugnás male.
Euge, óptume eccum huc aédium dominús foras
Simó progreditur ípsus. huc concéssero,
Dum míhi senatum cónsili in cor cónuoco.
Igitúr tum accedam hunc, quándo, quid agam, inuénero.

SIMO. THEVROPIDES. TRANIO.

SIMO.

Mélius anno hóc mihi nón fuit domi,
Néc quod una ésca me iúuerit magis.

---

690 sqq. his metris scripti sunt: compositis e dimetro cretico et tripodia trochaica catalectica v. 690—692. 694. 695. 698—701. 704. 705. 707—714. 717; creticis tetrametris catalecticis in syllabam v.

Prándium uxór mihi pérbonum dedit;
  Núnc dormitúm iubet me íre: minumé.
Nón mihi fórte uisum ílico fuit,
Mélius quom prándium, quám solet, dedit.
  Vóluit in cúbiculum abdúcere me anús:
  Nón bonust sómnus de prándio: apagé.
Clánculum ex aédibus mé dedi foras:
Tóta turgét mihi uxór, scio, domi.

TRANIO.

Rés paratást mala in uésperum huic seni:
Nam ét cenandum ét cubandúmst ei male.

SIMO.

  Quóm magis cógito cúm meo animó,
  Sí quis dotátam uxorem átque anum homo habét,
Eum hominem sóllicitat sópor: ibi omnibus
'Ire dormítum odiost. uéluti nunc mihi
  Éxsequi cérta res ést ut abeám
Pótius hinc ád forum, quám domi cubem.
'Atque pol néscio ut móribus sient
Véstrae: at haec, sát scio, quám me habet male,
Péius posthác fore quám fuit mihi.

TRANIO.

Si ábitus tuus tibi, senex, fécerit male,
Nihil erit quód deorum úllum accusites:

---

693. 696. 697. 702. 703. 706. acatalectis 715. 716. 718—726. 729. 730. 733—736. 738. 739. 741; bacchiacis tetrametris catalectico 731, acatalecto 732; trochaicis septenariis 737. 740; iambicis octonariis 742—745, septenario 746.

Te ipse iure óptumo incúsites licet.
Témpus nunc ést senem hunc ádloqui mihi.
śc habet: répperi quí senem dúcerem,
ıó dolo a mé dolorém procul péllerem.
'Accedam huc. dí te ament plúrumum, Simo.

SIMO.

ıluos sis, Tránio.

TRANIO.

'Vt uales?

SIMO.

Nón male.

uid agis?

TRANIO.

Hominem óptumum téneo.

SIMO.

Amicé facis,

uóm me laudás.

TRANIO.

Decet cérte.

SIMO.

At hercle haú bonum

éneo seruom.

[TRANIO.

Eía ueró: quid ita, te óbsecro?]

SIMO.

Quíd nunc, quam móx?

TRANIO.

Quid est?

SIMO.

Quód solet fieri

TRANIO.

Quid id ést?

SIMO.

Scies: tíbi * * *

TRANIO.

* * *

SIMO.

* * * loquar.

Sic decet * * * morém geras.

Vita quam sít breuis, cógita. [núm]quid [ais?]

TRANIO.

Ehem,

Vix tandem percépi super his rébus nostris té loqui.

SIMO.

Músice hercle ágitis aetátem ita ut uós decet:

Vino et uictú, piscatú probo, eléctili

Vitám colitis.

TRANIO.

'Immo uita ántehac erát:

Nunc nóbis simítu omnia haéc excidérunt.

SIMO.

Quídum?

TRANIO.

Ita hic óppido occídimus omnés, Simo.

SIMO.

Nón taces? próspere uóbis cuncta úsque adhuc

Prócesserúnt.

TRANIO.

Ita ut dícis facta haú nego.

Nós profectó probe ut uóluimus uíximus:

t, Simo, ita nunc uéntus nauem nóstram deseruít.

SIMO.

Quid est?

Quó modo?

TRANIO.

Péssumo.

SIMO.

Quaéne subdúcta erat

Túto in terram?

TRANIO.

Ei.

SIMO.

Quid est?

TRANIO.

Heú me miserum: óccidi.

SIMO.

uí?

TRANIO.

Quia uenit náuis, nostrae náui quae frangát ratem.

THEVROPIDES.

Heía, mastígia, ad mé redi.

TRANIO.

Iam ísti ero.

741 vulgo legitur post v. 721.

SIMO.

Vellem út tu uelles, Tránio. set quíd est negoti?

TRANIO.

Ego éloq

Erus péregre uenit.

SIMO.

Túnc [tibi actútum] chorda ténd

Inde férriterium: póstea

[TRANIO.

Pol pér tua te g]enua óbs

Ne indício ero faciás meo.

SIMO.

E me, ué quid metuas, nil sciet.

TRANIO.

Patróne, salue.

SIMO.

Nil moror mi istiusmodi cliéntis.

TRANIO.

Nunc hóc, quod ad te nóster me misit senex

* * * * * * * * *

SIMO.

Hoc mihi responde primum, quod ego té rogo:

Iam de istis rebus nóster quid sensit senex?

TRANIO.

Nil quicquam.

SIMO.

Numquid increpauit filium?

[illegible]. Intercidit uersiculus.

TRANIO.

Tam líquidust, quam liquida ésse tempestás solet.
Nunc te hóc orare iússit opere máxumo,
Vt síbi liceret ínspicere hasce aedís tuas.

SIMO.

Non súnt uenales.

TRANIO.

Scío equidem istuc: sét senex
Gynaéceum aedificáre uolt hic ín suis
Et bálineas et ámbulacrum et pórticum.

SIMO.

Hem, quíd consomniáuit?

TRANIO.

Ego dicám tibi:
Dare uólt uxorem fílio quantúm potest:
Ad eám rem facere uólt nouom gynaéceum.
Nam síbi laudauisse hásce ait architéctonem
Nescío quem, esse aedificátas has sané bene.
Nunc hínc exemplum cápere uolt, nisi tú neuis.

SIMO.

Ne ille éx malo malum hínc opere exemplúm petit.

TRANIO.

Quin aéstu audiuit ésse ibi uictum pérbonum:
Sub díu colere te úsque perpetuóm diem.

SIMO.

Immo édepol uero, quom úsquequaque umbráest, tamen
Sol sémper hic est úsque a mani ad uésperum.
Quasi flágitator ástat usque ad óstium:

Nec mi úmbra ibi usquamst, nísi si in puteo quaépiamst.

TRANIO.

Quid? Sársinatis écquast, si Vmbram nón habes?

SIMO.

Moléstus ne sis: haéc sunt sicut praédico.

TRANIO.

Attámen inspicere uólt.

SIMO.

Inspiciat, sí lubet.
Si quíd erit, quod illi pláceat, de exempló meo
Ipse aédificato.

TRANIO.

Eón? uoco huc hominem?

SIMO.

'I uoca.

TRANIO.

Alexándrum magnum atque 'Agathoclem aiunt máxumas
Duo rés gessisse: quíd mihi fiet tértio,
Qui sólus facio fácinora inmortália?
Vehit híc clitellas, uéhit hic autem altér senex.
Nouícium mihi quaéstum institui nón malum:
Nam múliones múlos clitellários
Habént, ego homines hábeo clitellários.
Magní sunt oneris: quícquid inponás, uehunt.
Nunc húnc hauscio án conloquár. congredíbor.
Heus Theúropidés.

---

783 sqq. bacchiaci tetrametri acatalecti.

THEVROPIDES.

Hem, quis híc nominát me?

TRANIO.

Eró seruos múltimodis sŭo fidus.

THEVROPIDES.

'Vnde is?

TRANIO.

Quod mé misserás, adfero ómne impetrátum.

THEVROPIDES.

Quid illíc, obsecró, tam diú restitísti?

TRANIO.

Sení non erát otium: íd sum opperítûs.

THEVROPIDES.

Antíquom optinés hoc tuúm, tardus út sis.

TRANIO.

Heus tú, si uolés hoc uerbúm cogitáre,
Simúl flare sórbereque haút factu fácilest:
Ego híc esse et ílli simítu hau potíui.

THEVROPIDES.

Quid núnc?

TRANIO.

Vise, spécta tuo úsque arbitrátu.

THEVROPIDES.

Age í, duce mé.

TRANIO.

Num morór?

THEVROPIDES.

Subsequór te.

Eius émisse aedis húius dicam filium?
Calidum hércle audiui esse óptumum mendácium.
[Calidum hóc est: etsi prócul abest, urít male.]
Quicquíd dehinc dicam, núnc id certumst dícere.

THEVROPIDES.

Quid ígitur? iam comméntu's?

TRANIO.

Di istum pérduint.
Immo ístunc potius. dé uicino hoc próxumo
Tuus émit aedis filius.

THEVROPIDES.

Bonán fide?

TRANIO.

Siquidem és argentum rédditurus, túm bona:
Si rédditurus nón es, non emít bona.

THEVROPIDES.

Non ín loco emit pérbono.

TRANIO.

Immo in óptumo.

THEVROPIDES.

Cupio hércle inspicere hasce aédis. pultadúm foris,
Atque éuoca aliquem huc íntus ad te, Tránio.

TRANIO.

Ecce aútem perii: núnc quid dicam néscio.
Iterúm iam ad unum sáxum me fluctús ferunt.
Quid núnc? non hercle, quíd nunc faciam, réperio.
Manuféstο teneor.

666, qui vulgo post v. 609 legitur, hinc alienus.

THEVROPIDES.

Éuocadum aliquem ócius,
Roga círcumducat: heús tu.

TRANIO.

At hic sunt múlieres:
Vidéndumst primum, utrum ĕae uelintne an nón uelint.

THEVROPIDES.

Bonum aéquomque oras. í, percontare ét roga:
Ego híc tantisper, dum éxis, te opperiár foris.

TRANIO.

Di té deaeque omnes fúnditus perdáut, senex:
Ita méa consilia tu úndique oppugnás male.
Euge, óptume eccum huc aédium dominús foras
Simó progreditur ípsus. huc concéssero,
Dum míhi senatum cónsili in cor cónuoco.
Igitúr tum accedam hunc, quándo, quid agam, inuénero.

SIMO. THEVROPIDES. TRANIO.

SIMO.

Mélius anno hóc mihi nón fuit domi,
Néc quod una ésca me iúuerit magis.

---

690 sqq. his metris scripti sunt: compositis e dimetro cretico et tripodia trochaica catalectica v. 690—692. 694. 695. 698—701. 704. 705. 707—714. 717; creticis tetrametris catalecticis in syllabam v.

THEVROPIDES.

Béne benigneque árbitror te fácere.

SIMO.

Factum edepól uolo.

TRANIO.

Víden hoc ante aedís uestibulum et ámbulacrum quŏiusmodi?

THEVROPIDES.

Lúculentum edepól profecto.

TRANIO.

Age spécta, postes quŏiusmodi?
Quánta firmitáte facti et quánta crassitúdine.

THEVROPIDES.

Nón uideor uidísse postis púlcriores.

SIMO.

Pól mihi
Éo pretio empti fúerant olim.

TRANIO.

Aúdin 'fuerant' dícere?
Víx uidetur cóntinere lácrumas.

THEVROPIDES.

Quanti hosce émeras?

SIMO.

Trís minas pro istís duobus praéter uecturám dedi.

THEVROPIDES.

Hércle quin multo ínprobiores súnt, quam a primo crédidi.

TRANIO.

Quápropter?

THEVROPIDES.

Quia édepol ambo ab ínfumo tarmés secat.

TRANIO.

'Intempestiuós excisos crédo: id eis uitiúm nocet.
'Atque etiam nunc sátis boni sunt, sí sunt inductí pice.
Nón enim haec pultífagus opufex ópera fecit bárbarus.
Víden coagmenta in fóribus?

THEVROPIDES.

Video.

TRANIO.

Spécta quam arte dórmiunt.

THEVROPIDES.

Dórmiunt?

TRANIO.

Illút quidem, ut coníuent, uolui dícere.
Sátin habes?

THEVROPIDES.

Vt quídque magis contémplor, tanto mágis placet.

TRANIO.

Víden pictum, ut ludíficat una córnix uolturiós duos?

THEVROPIDES.

Nón edepol uideo.

TRANIO.

'At ego uideo eam ínter uolturiós duos:
Córnix astat: éa uolturios dúos uicissim uéllicat.
Quaéso huc ad me spécta, cornicem út conspicere póssies.
Iám uides?

THEVROPIDES.

Profécto nullam equidem íllic cornicem íntuor.

---

833 accessit ex Ambrosiano codice.

TRANIO.

'At tu istoc ad uós optuere, quóniam cornicém nequis
Cónspicari, sí uolturios fórte possis cóntui.

THEVROPIDES.

'Omnino, ut te absóluam, nullam píctam conspicio híc auem.

TRANIO.

'Age, iam mitto: ignósco: aetate nón quis optuérier.

THEVROPIDES.

Haéc, quae possum, ea míhi profecto cúncta uehementér placent.

SIMO.

Látius demum óperaest pretium iuísse.

THEVROPIDES.

Eu: recte edepól mones.

SIMO.

Ého, istum, puere, círcumduce hasce aédis et concláuia.
Nam égomet ductarém, nisi mi esset ád forum negótium.

THEVROPIDES.

'Apage istum circúmductorem: níl moror ductárier.

SIMO.

Aédis dico. uín qui te perdúctet?

THEVROPIDES.

Apage: nón placet.
Quícquid est, errábo potius quám perductet quíspiam.

[SIMO.

Tuo árbitratu.]

THEVROPIDES.

Érgo eo igitur síne perductore.

SIMO.

'I, licet.

THEVROPIDES.

'Ibo intro igitur.

TRANIO.

Máne sis uideam, né canis

THEVROPIDES.

Agedúm uide.

TRANIO.

Ést.

THEVROPIDES.

Vbist?

TRANIO.

Abi hínc dierecte. ábiu hinc in malám crucem?
'At etiam restás: abi istinc.

SIMO.

Níl periclist: áge modo.
Tám placidast quam plácidast aqua. uise: íre intro audactér licet.
Égo eo hinc ad forúm.

THEVROPIDES.

Fecisti cómmode: bene ámbula.
Tránio, age canem ístam a foribus áliquis abducát face,
Étsi non metuéndast.

TRANIO.

Quin tu illam áspice, ut placide áccubat.
Nísi molestum uís uideri te átque ignauom.

THEVROPIDES.

Iam út lubet.
Séquere hac me igitur.

TRANIO.

Équidem haut usquam a pédibus apscedám tuis.

ACTVS IV.

PHANISCVS.

PHANISCVS.

Serui qui, quom cúlpa carént, tamen malúm
Metuónt, hi solént esse utíbiles erís.
Nam illí, qui nil métuont, postquám sunt malúm
Promériti, tum stúlta expetúnt sibi consília:
Exércent sese ád cursurám, [deinde] fúgiunt.
Hi sí sunt repréusi, faciúnt de maló
[Sibí] peculiúm, quod nequeúnt [de bonó.]
Augént ex pauxíllo: [thensaúrum in]de páriunt.
Mihi ín pectore [íd] consilí[st, praecauére]
Malám rem priús quam ut meúm [tergum dóleat.]
Vt adhúc [hoc] fuít, [ita mihi] córium esse opórtet:
Sincérum atque ut [íd mihi] uotém uerberári.
Si [ego] huíc iam parébo, probé tectum habébo:
Malúm quom impluít ceterís, ne inpluát mi.

858—860. 863. 864 bacchiaci tetrametri catalectici, 861. 862. 865—876 acatalecti; 878—882 cretici tetrametri acatalecti; 877 trochaicus octonarius, 883. 884 septenarii.

858—860 inculcati sunt in libris scriptis Menaechm. v. 984.

Nam ut sérui uolúnt esse, itá solent [eri ésse:]
Boní sunt [bonís], inprobí sunt maléficis.
Nam núnc tot domí pessumí nostrae uíuont,
Pecúli suí prodigí, plagigéruli.
Vbi áduorsum [ei] út eant eró [suo] uocántur:
'Nón eo: moléstus ne sis: scío quo properas: géstis aliquo:
Iam hércle [nunc] íre uis, múle, pastúm foras.'
Béne merens hóc preti inde ábstuli: abií foras.
† Sólus [ego] núnc eo aduórsum ero ex plúrumis.
Hóc die crástini quóm erus rescíuerit,
Mále castigábit eos éxuuiis búbulis.
Póstremo minóris pendo térgum illorum quám meum:
'Illi erunt bucaédae multo pótius quam ego sim réstio.

ADVORSITOR. PHANISCVS.

ADVORSITOR.

Mane tu átque adsiste [hic] ílico, Phanísce: respice étiam.

PHANISCVS.

Mihi [tú] molestus né sies.

ADVORSITOR.

Vide símia ut fastídit.
Manésne [tu] impure ílico parasíte?

---

884. Hoc versu vulgo novae scenae exordium fit perversissime.
885—897 iambici septenarii.

PHANISCVS.

Qui parasítus
Ego súm?

ADVORSITOR.

[Tibi] enim dicám: cibo perdúci poteris quóuis.

PHANISCVS.

Mihi súm: lubet [mihi] ésse. quid [tu] id cúras? [alia cúra.]

ADVORSITOR.

Ferócem [te] facís, quia te erús tuus [tam] amát.

PHANISCVS.

Vah,
Oculí dolent.

ADVORSITOR.

Quor?

PHANISCVS.

Quía [mihi] fumús molestust.

ADVORSITOR.

Táce sis,
Fabér [nugarum] plúmbeos qui cúdere soles númmos.

PHANISCVS.

Non [pól] potes tu cógere me [ego] út tibi male dícam.
Nouít erus me.

ADVORSITOR.

Suám quidem pol cúlcitellam opórtet.

PHANISCVS.

Si sóbrius sis, mále [mihi] non dícas.

ADVORSITOR.

Tibi [ne, néquam,]
Optémperem, quom tú mihi nequeás [linguam ábstinere?]

PHANISCVS.

t tú, quaeso hercle, iam ábstine sermónem de istis rébus.
lécum, pessume, íto aduorsus.

ADVORSITOR.

Fáciam et pultabó foris.
Heus, écquis hic est, máxumam qui hís iniuriam
Foribús defendat? écquis huc éxit atque aperit?
Nemo hínc quidem [huc] exít foras. ésse ut addecet
Nequam hómines, ita sunt. ĕo magis caúto opust [mihi,]
Ne huc éxeat, qui mé male múlcet: [abiero huc.]

TRANIO. THEVROPIDES. PHANISCVS. ADVORSITOR.

TRANIO.

)uíd tibi uisumst mércimoni [hoc ésse]?

THEVROPIDES.

Totus gaúdeo.

TRANIO.

Vúm nimio emptae tíbi uidentur?

THEVROPIDES.

Númquam edepol ego mé scio
Vídisse usquam abiéctas aedis, nísi modo hasce.

---

898 trochaicus septenarius.

899—903 compositi e dimetro iambico acatalecto et tripodia trochaica catalectica.

904—932 vulgo collocantur post v. 857.

TRANIO.

Ecquíd placent?

THEVROPIDES.

Écquid placeant, mé rogas? immo hércle uero pérplacent.

TRANIO.

Quŏiusmodi gynaéceum? quid pórticum?

THEVROPIDES.

Insanúm bonam.

Nón equidem ullam in público esse máiorem hac exístumo.

TRANIO.

Quín ego ipse et Phílolaches in público omnis pórticus
Súmus commensi.

THEVROPIDES.

Quíd igitur?

TRANIO.

Longe ómnium longíssumast.

THEVROPIDES.

Di ímmortales, mércimoni lépidi. si hercle núnc ferat
Séx talenta mágna argenti pro ístis praesentária,
Númquam accipiam.

TRANIO.

Si hércle accipere cúpias, ego numquám sinam.

THEVROPIDES.

Béne res nostra cónlocatast ístoc mercimónio.

TRANIO.

Mé suasore atque ínpulsore id fáctum audacter dícito,
Quí subegi faénore argentum áb danista ut súmeret,
Quód isti dedimus árraboni.

THEVROPIDES.

Séruauisti omném ratem.

Némpe octogintá debentur huíc minae?

TRANIO.

Hau nummo ámplius.

THEVROPIDES.

Hódie accipiat.

TRANIO.

'Ita enimuero: né qua causa súbsiet.

Vél mihi denumeráto: ego illi pórro denumeráuero.

THEVROPIDES.

'At enim ne quid cáptioni míhi sit, si dederím tibi.

TRANIO.

Égone te ioculó modo ausim dícto aut facto fállere?

THEVROPIDES.

Égon' abs te ausim nón cauere, ní quid committám tibi?

TRANIO.

Quíd? tibin' umquam quícquam, postquam túus sum, uerborúm dedi?

THEVROPIDES.

Égo enim caui récte.

TRANIO.

* * * * * *

* * * eam debes grátiam atque animó meo.

---

926. 927. Interciderunt talia fere:

TH. Égo enim caui récte. [TR. caue modo álios: mihi, qui tibi fidem

'Vsque seruaui, hércle] eam debes grátiam atque animó meo.

THEVROPIDES.

Sát sapio, si abs té modo uno cáueo.

TRANIO.

Tecum séntio.

THEVROPIDES.

Núnc abi rus: dic me áduenisse fílio.

TRANIO.

Faciam út uoles.

THEVROPIDES.

Cúrriculo iube in úrbem ueniat iám simul tecúm.

TRANIO.

Licet.

Núnc ego me illac pér posticum ad cóngerrones cónferam:
Dícam, ut hic res sínt quietae atque húnc ut hinc amóuerim.

PHANISCVS.

Híc quidem neque cónuiuarum sónitust, item ut antehác fuit:
Néque tibicinám cantantem néque alium quemquam aúdio.

THEVROPIDES.

Quaé illaec res est? quíd illisce homines quaérunt aput aedís meas?
Quíd uolunt? quid íntrospectant?

ADVORSITOR.

Pérgam pultare óstium.

Heús, reclude: heus, Tránio, etiamne áperis?

THEVROPIDES.

Quae haec est fábula?

933. Novam hinc scenam vulgo ordiuntur.

ADVORSITOR.

Étiamne aperis? Cállidamati nóstro aduorsum uénimus.

THEVROPIDES.

Heús uos, pueri, quid istic agitis? quíd istas aedis frángitis?

ADVORSITOR.

* * ita qu.d * * * * * *

* * * * * * * * [b]onus.

* * * * * quae * * *

* * * * * * * * * *

* * * * quid ais * * * *

PHANISCVS.

* sed q.. * * * * * éloquar.

Érus hic noster pótat.

THEVROPIDES.

Erus hic uóster potat?

PHANISCVS.

'Ita loquor.

THEVROPIDES.

Púere, nimium délicatu's.

PHANISCVS.

Éi aduorsum uénimus.

THEVROPIDES.

Quoí homini?

PHANISCVS.

Ero nóstro. quaeso, quótiens dicundúmst tibi?

940—945 sex laceri et prope evanidi in Ambrosiano codice versus, quibus Theuropidem ludibrio habuerunt servuli.

THEVROPIDES.

Púere, nemo hic hábitat: nam te esse árbitror puerúm prob

PHANISCVS.

Nón hic Philolachés adulescens hábitat hisce in aédibus?

THEVROPIDES.

Hábitauit: uerum émigrauit prídem ille ex hisce aédibı

ADVORSITOR.

Sĕnex hic elleborósust certe.

PHANISCVS.

Érras peruorsé, pater:

Nám nisi hinc hodie émigrauit aút heri, certó scio

Híc habitare.

THEVROPIDES.

Quín sex mensis iam híc nemo habitat.

ADVORSITOR.

Sóm

THEVROPIDES.

Egone?

ADVORSITOR.

Tu ne.

THEVROPIDES.

Né molestu's: sine me cum pueró loqui.

Némo habitat.

PHANISCVS.

Habitát profecto: nám heri et nudiusté

Quártus, quintus, séxtus usque, póstquam peregre

ènus pater

951 ex Ambrosiano accessit.

biit, numquam hic tríduom unum désitumst potárier.

THEVROPIDES.

uíd ais tandem?

PHANISCVS.

Tríduom unum haut ésse intermissum híc bibi,
córta duci, pérgraecari, fídicinas, tibícinas
éuduci.

THEVROPIDES.

Quis istaéc faciebat?

PHANISCVS.

Phílolaches.

THEVROPIDES.

Qui Phílolaches?

PHANISCVS.

Quoí patrem Theurópidem esse opínor.

THEVROPIDES.

Ei mihi: óccidi,
Si haéc hic uera mémorat. pergam pórro percontárier.
Ain tu istic potáre solitum Phílolachem istum, quísquis est,
Cúm ero uostro?

PHANISCVS.

Hic, ínquam.

THEVROPIDES.

Puere, praéter speciem stúltus es.
Víde sis ne forte ád merendam quópiam deuórteris,
Atque ibi ne plus, quám satis fuerit, bíberis.

PHANISCVS.

Quid [ita nám? quid] est?

THEVROPIDES.

Ita dico: ne ad álias aedis pérperam deuéneris.

PHANISCVS.

Scío qua me ire opórtet, et quo uénerim, nouí locum.
Phílolaches hic hábitat, quoius ést pater Theurópides:
Quí, postquam pater ád mercatum ábiit hinc, tibícinam
Líberauit.

THEVROPIDES.

Phílolachesne ergo?

PHANISCVS.

Ita: Philematiúm quidem.

THEVROPIDES.

Quánti?

ADVORSITOR.

Trigintá talentis.

PHANISCVS.

μὰ τὸν Ἀπόλλω, sét minis.

THEVROPIDES.

Ăin minis trigínta amicam déstinasse Phílolachem?

PHANISCVS.

'Aio.

THEVROPIDES.

Atque eam manu émisisse?

PHANISCVS.

'Aio.

THEVROPIDES.

Et postquam eius hínc pater
Sít profectus péregre, tum perpótasse adsiduo híc simul
Tŭo cum domino?

PHANISCVS.

'Aio.

THEVROPIDES.

Quid? is has aédis emit próxumas?

PHANISCVS.

Nón aio.

THEVROPIDES.

Quadrágiuta etiam dédit huic, quae essent pígnori?

PHANISCVS.

Néque istud aio.

THEVROPIDES.

Ei, pérdis.

PHANISCVS.

Immo sŭum patrem illic pérdidit.

THEVROPIDES.

Véra cantas.

PHANISCVS.

Váua uellem. pátris amicus uídelicet.

THEVROPIDES.

Heu,
Édepol patrem eum mérito miserum praédicas.

PHANISCVS.

Nihil hóc quidem
Trígiuta minaé, prae quam alios dápsilis sumptús facit.

THEVROPIDES.

Pérdidit patrem.

PHANISCVS.

'Vnus istic séruos est sacérrumus,
Tránio: is uel Hérculi contérere quaestum póssiet.
Édepol ne me eius pátris nunc misere míseret: qui quo
istaéc sciet
'Facta ita, amburét ei misero córculum carbúnculus.

THEVROPIDES.
quidem istaec uéra sunt.
PHANISCVS.
Quid mérear, quamobrem méntiar?
ADVORSITOR.
Heús uos, ecquis áperit?
PHANISCVS.
Quid istas púltas, ubi nemo íntus est?
Alio credo cómmissatum abísse: abeamus núnc iam.
THEVROPIDES.
Púere, [se]q[uere, te óbsecro,] hac me.
PHANISCVS.
* *
THEVROPIDES.
* *
Púere, iamne abís?
PHANISCVS.
Libertas paénulast tergó tuo:
Míhi, nisi ut erum métuam et curem, níhil est qui tergúm tegam.

THEVROPIDES. SIMO.

THEVROPIDES.
Perii hércle. quid opust uérbis? ut uerba aúdio,
Non équidem in Aegyptum hinc modo uectús fui,
Set étiam in terras sólas orasque últumas
Sum círcumuectus: íta, ubi nunc sim, néscio.
Verúm iam scibo: nam éccum, unde aedis fílius
Meus émit. quid agis tu?
SIMO.
A foro incedó domum.
THEVROPIDES.
Numquid processit ád forum hic hodié noui?
SIMO.
Etiám.
THEVROPIDES.
Quid tandem?

990, qui ex Ambrosiano accessit, videtur talis fuisse:
Th. Púere, sequere, te óbsecro, hac me. [Ph. térgo timeo. Th. né time.]

SIMO.
Vídi efferri mórtuom.
THEVROPIDES.
Hem,
Nouóm.
SIMO.
Modo uixisse ăibant.
THEVROPIDES.
Vae capití tuo.
SIMO.
Quid tu ótiosus rés nouas requíritas?
THEVROPIDES.
Quia hódie adueni péregre.
SIMO.
Promisí foras:
Ad cénam ne me té uocare cénseas.
THEVROPIDES.
Haut póstulo edepol.
SIMO.
Vérum cras, nisi quís prius
Vocáuerit me, uél aput te cenáuero.
THEVROPIDES.
Ne istúc quidem edepol póstulo. nisi quíd magis
Es óccupatus, óperam mihi da.
SIMO.
Máxume.
THEVROPIDES.
Minás quadraginta áccepisti, quód sciam,
A Phílolachete?
SIMO.
Númquam nummum, quód sciam.
THEVROPIDES.
Quid, ăiu tu a Tranióne?
SIMO.
Multo hercle íd minus.
THEVROPIDES.
Quas árraboni tíbi dedit?
SIMO.
Quid sómnias?
THEVROPIDES.
Egone? át quidem tu, qui ístoc te sperás modo

1002. Pro hoc duo sunt vulgo:
Nouum. SI. unum uidi mortuum efferri foras:
Modo eum uixisse aiebant. TH. uae capiti tuo.

Potésse dissimulándo infectum hoc réddere.

SIMO.

Quid aútem?

THEVROPIDES.

Quod me abséute tecum hic filius
Negóti gessit.

SIMO.

Mécum ut ille hic gésserit,
Dum tu hinc abes, negóti [quidquam?

THEVROPIDES.

* * * * * * *

SIMO.] Quiduam? aut quó die?

THEVROPIDES.

* * * * * * * * *
Minás tibi octogínta argenti débeo.

SIMO.

Non míhi quidem hercle: uérum si debés, cedo.
Fidés seruandast: ne íre infitias póstules.

THEVROPIDES.

Profécto non negábo debere, ét dabo:
Tu cáue quadraginta áccepisse hinc té neges.

SIMO.

Quaeso édepol, ad me huc spécta et respondé mihi.
* * * * * * * * * *
* * * * * * * * * *

1018 sqq. sic fere reconcinnandi:
Dum tu hinc abes, negóti [quicquam? TH. né nega,
Etsi tibi aegre núnc est. SI.] quidnam? aut quó die?
TH. [Moléstus ne sis: rem ómnem in pauca cónferam.]

1026. Post hunc lacuna est versuum ferme xxIII, quorum tales fere sententias fuisse oportet:
Nam quam ób rem accepisse id me argentum dictitas?
TH. Quasi uéro has aedis hinc esse emptas néscias.
SI. Quas aédis aut a quo émptas dicis, te óbsecro?
TH. Quas uéndidisti gnáto Philolachí meo.
SI. Egone út uendiderim? quid quaeso in mentémst tibi?
TH. Frustrá's nunc dissimulándo. scio, iam paénitet
Te has uéndidisse: uérum id equidem hercle haú moror.
SI. Sátin sánu's? an me lúdificare póstulas?
TH. Etiámne intendis? sério factum hóc negas?
SI. Nego hércle uero fáctum atque adeo pérnego.
Quin iús iurandum tibi me polliceór dare,
Nil mi hic negoti fúisse cum gnató tuo.
TH. Qui núnc negas? quor nón negabas ántidhac?
Quor me inspicere has sinébas? SI. Quor ego, te óbsecro,

* * * * * * * * * *
* * * * * * * * * *

SIMO.

Te uélle uxorem aiébat tuo gnató dare:
Ideo aédificare hoc uélle aiebat ín tuis.

THEVROPIDES.

Hic aédificare uólui?

SIMO.

Sic dixít mihi.

THEVROPIDES.

Ei míhi, disperii: uócis non habeó satis.
Vicíne, perii, intérii.

SIMO.

Numquid Tránio
Turbáuit?

THEVROPIDES.

Immo mi éxturbauit ómnia.
Delúdificatust mé hodie indignís modis.

SIMO.

Quid tú ais?

THEVROPIDES.

Haec res síc est, ut narró tibi:
[Dispérdidit me ille] hódie in perpetuóm modum.
Nunc te óbsecro, ut me béne iuues operámque des.

SIMO.

Quid uís?

THEVROPIDES.

I mecum, te óbsecro, una núnc simul.

SIMO.

Fiát.

THEVROPIDES.

Seruorumque óperam et lora míhi cedo.

SIMO.

Sume.

THEVROPIDES.

Ĕadem ego opera haec íntus tibi narráuero,
Quis me hódie exemplis ílle ludificátus est.

Non sinerem, quom ad me séruom misissés tuum,
Meas hás ut inspiciúndi ueniam tíbi darem?
TH. At éo ego misi, ut, quae íntus essent múlieres,
Eis né molestus éssem ego aduentú meo.
SI. Longe áliut certe séruos memorabát tuus.
TH. Dic mi óbsecro igitur, quíd ille memorauít tibi?
SI. Tibi dícam: hic quod gynaéceum in meis aédibust,
Hinc cápere exemplum uélle te dixít mihi.
TH. Quo mi aútem exemplum? aut quó gynaeceúm mihi?

ACTVS V.

T R A N I O.

TRANIO.

Quí homo timidus érit in rebus dúbiis, nauci nón erit.
Atque equidem, quid id ésse dicam uérbum nauci, néscio:
* * * * * * * * * * *
Nám erus me postquám rus misit, fílium ut suum arcésserem,
Abii illa per ángiportum ad hórtum nostrum clánculum.
Ostium quod in ángiportust, éius patefecí foris,
Eaque eduxi omném legionem, ét maris et féminas.
Póstquam ex opsidióne in tutum edúxi manuplarís meos,
Cápio consilium, út senatum cóngerronum cónuocem.
Quóm eum conuocáui, atque illi me éx senatu ségregant.
Vbi egómet uideó rem uorti in mĕo foro, quantúm potest
Fácio idem quod plúrumi alii, quíbus res timida aut túrbidast:
Pérgunt turbare úsque ut ne quid póssit conquiéscere.
Nám scio equidem núllo pacto iám esse posse clám senem
* * * * * * * * * *
* * * * * * * * * *
Mét[uo * * * * * * * *
Pro * * * * * * * *
Ille * * * * * * * *
* * * * * * * * * *
* * * * * * * * * *
Sét quid hoc est, quod fóris concrepuit próxume uicíniae?
Erus meus hic quidémst: gustare ego éius sermoném uolo.

1055 sqq. Septem versus nunc evanidi in Ambrosiano codice fuere, hoc fere argumento:

Quibus dolis concénturiatis éum ego ludificátus sum.
Nam út erum uidi géstientem fálso mercimónio,
Métuo ne ad nostrúm uicinum prótinam contulerit pedem,
Pro émptis aedibús, quas inhiat miser, ut pretium sólueret.
Ille ubi uendidisse se umquam eas aédis pernegáuerit,
Néque se argentum accépse, sat scio rém esse factam omném palam,
Quibus mendaciis celarim a gnáto rem dispérditam.

THEVROPIDES. TRANIO. LORARII.

THEVROPIDES.

'Ilico intra límen ista státe, ut quom extempló uocem,
Cóntinuo exiliátis: manicas céleriter conéctite.
Égo illum ante aedis praéstolabor lúdificatorém meum,
Quóius ego hodie lúdificabor córium, si uiuó, probe.

TRANIO.

Rés palamst. nunc té uidere méliust, quid agas, Tránio.

THEVROPIDES.

Dócte atque astu míhi captandumst cúm illo, ubi huc aduénerit.
Nón ego illi extemplo íram ostendam: sénsim mittam líneam.
Díssimulabo me hórum quicquam scíre.

TRANIO.

O mortalém malum:
'Alter hoc Athénis nemo dóctior dicí potest.
Vérba illi non mágis dare hodie quísquam quam lapidí potest.
'Adgrediar hominem: áppellabo.

THEVROPIDES.

Núnc ego ille huc ueniát uelim.

TRANIO.

Síquidem pol me quaéris, adsum praésens praesentí tibi.

THEVROPIDES.

Eúge, Tranió. quid agitur?

TRANIO.

Véniunt rure rústici:
Phílolaches iam hic áderit.

THEVROPIDES.

Edepol ópportune mi áduenit.
Nóstrum ego hunc uicínum opinor ésse hominem audacem ét malum.

TRANIO.

Quídum?

THEVROPIDES.

Quia negát nouisse uós.

TRANIO.

Negat?

THEVROPIDES.

Nec uós sibi
Númmum umquam argentei dedisse.

1063. 1064 sine scenae intervallo vulgo continuantur.

TRANIO.
Abi, lúdis me: credo haút negat.
THEVROPIDES.
Quíd iam?
TRANIO.
Scio, iocáris nunc tu: nam ílle quidem haut edepól negat.
THEVROPIDES.
'Immo edepol negát profecto, néque se hasce aedis Phílolachi
Véndidisse.
TRANIO.
Eho, án negauit síbi datum argentum, óbsecro?
THEVROPIDES.
Quín ius iurandúm pollicitust dáre se, si uellém, mihi,
Néque se hasce aedis uéndidisse néque sibi argentúm datum.
TRANIO.
* * * * * * * * * *
THEVROPIDES.
Díxi ego istuc idem ílli.
TRANIO.
Quid ait?
THEVROPIDES.
Séruos pollicitúst dare
Sŭos mihi omnis quaéstioni.
TRANIO.
Núgas: numquam edepól dabit.
THEVROPIDES.
Dát profecto.
TRANIO.
Quín cita illum in iús. ibo, inueniám.
THEVROPIDES.
Mane:
Éxperiar, ut opínor. certumst.
TRANIO.
'Immo mihi hominém cedo.
Vél hominem iube máncupio aedis póscere.
THEVROPIDES.
Hoc primúm uolo,
Quaéstioni accípere seruos.
TRANIO.
Fáciundum edepol cénseo.

1093 vulgo post v. 1090 collocatus.

THEVROPIDES.
Quíd igitur, si ego áccersam homines?
TRANIO.
Fáctum iam esse opórtuit.
Égo interim aram hanc óccupabo.
THEVROPIDES.
Quíd ita?
TRANIO.
Nullam rém sapis:
Né enim illi huc confúgere possint, quaéstioni quós dabit.
Híc ergo tibi praésidebo, ne ínterbitat quaéstio.
THEVROPIDES.
Súrge.
TRANIO.
Minume.
THEVROPIDES.
Ne óccupassis óbsecro aram.
TRANIO.
Cúr?
THEVROPIDES.
Scies:
Quía enim id maxumé uolo, ut illic ístoc confugiánt. sine:
Tánto aput iudicem húnc argenti cóndemnabo fácilius.
TRANIO.
Quód agis, id agas. quíd tu porro sérere uis negótium?
Néscis quam metículosa rés sit ire ad iúdicem.
THEVROPIDES.
Súrgedum hinc: consúlerest igitur quíddam quod tecúm uolo
TRANIO.
Síc tamen hinc consílium dedero: nímio plus sapió sedens
Túm consilia fírmiora súnt de diuinís locis.
THEVROPIDES.
Súrge: ne nugáre. aspicedum cóntra me.
TRANIO.
Aspexí.
THEVROPIDES.
Vides?
TRANIO.
Vídeo. huc si quis íntercedat tértius, pereát fame.
THEVROPIDES.
Quídum?
TRANIO.
Quia nil quaésti sit ei: íta mali hercle ambó sumus
THEVROPIDES.
Périi.

TRANIO.

Quid tibíst?

THEVROPIDES.

Dedisti uérba.

TRANIO.

Qui tandém?

THEVROPIDES.

Probe

Méd emunxti.

TRANIO.

Víde sis, satine récte: num muccí fluont?

THEVROPIDES.

'Immo etiam cerebrúm quoque omne e cápite emunxistí meo.
Nam ómnia iam male fácta uostra répperi radícitus:
Nón radicitús quidem hercle, uérum etiam exradícitus.
Númquam edepol [tu haec fácinora] hodie inúltus designáueris:
Iam ígnem et sarmen tíbi iubebo, cárnufex, circúmdari.

TRANIO.

Né faxis: nam elíxus esse quam ássus soleo suáuior.

THEVROPIDES.

Éxempla edepol fáciam ego in te.

TRANIO.

Pláceo: eo exemplum éxpetis.

THEVROPIDES.

Lóquere: quoiusmodí reliqui, quom hínc abibam, fílium?

TRANIO.

Cúm pedibus, manibús, cum digitis, aúribus, oculís, labris.

THEVROPIDES.

'Aliut te rogo.

TRANIO.

'Aliut ergo núnc ego tibi respóndeo.
Sét eccum tui gnatí sodalem huc ád nos uideo incédere,
Cállidamatem: illó praesente mécum agito, si quíd uoles.

CALLIDAMATES. THEVROPIDES. TRANIO.

CALLIDAMATES.

'Vbi somno meam sépeliui omnem atque édormiui crápulam,
Phílolaches uenísse mihi [narráuit] suum peregre húc patrem,
Quóque modo hominem ád[uenientem] séruos ludificátus sit.

Ăit se metuere ín conspe[ctum sŭi patris] procédere.
Núnc ego de sodálitate sólus sum oratór datus,
Qui á patre eius cóuciliarem pácem. atque eccum óptume,
Iúbeo te saluére, et saluos quom áduenis, Theurópides,
Perégre, gaudeo. híc aput nos hódie cenes: síc face.

THEVROPIDES.

Cállidamates, dí te ament: de céna facio grátiam.

CALLIDAMATES.

Quín uenis?

TRANIO.

Promítte: ego ibo pró te, si tibi nón lubet.

THEVROPIDES.

Vérbero, etiam inrídes?

TRANIO.

Quian me pró te ire ad cenam aútumo?

THEVROPIDES.

Nón enim ibis: égo ferare fáxo, ut meruisti, ín crucem.

CALLIDAMATES.

'Age mitte istaec: te ád me ad cenam díc uenturum.

TRANIO.

Quíd taces?

CALLIDAMATES.

Sét tu istuc quid cónfugisti in áram hinc inscitíssumus?

TRANIO.

'Aduenieus pertérruit me. lóquere nunc, quid fécerim.
Núnc utrisque dísceptator éccum adest: age dísputa.

THEVROPIDES.

Fílium corrúpisse aio té meum.

TRANIO.

Auscultá modo.
Fáteor potauísse, amicam líberasse abséute te,
Faénori argentúm sumpsisse: id ésse absumptum praédico.
Númquid aliut fécit, nisi quod súmmis gnati géneribus?

THEVROPIDES.

Hércle mihi tecúm cauendumst, nímis qui's oratór catus.

CALLIDAMATES.

Síne me dum istuc iúdicare. súrge: ego isti adsédero.

TRANIO.

Máxume. accipito háuc [tute] ad te lítem: enim istic cáptiost.
Fác ego ne metuám [mihi, atque] ut tú meam timeás uicem.

THEVROPIDES.

Iám minoris [ómnia alia fá]cio, prae quam quíbus modis

Lúdificatust mé.

TRANIO.

Bene hercle fáctum, et factum gaúdeo.
Sápere istac aetáte oportet, quí sunt capite cándido.

[THEVROPIDES.

Quíd ego nunc faciám, si amicus Démipho aut Philónides
* * * * * * * *

TRANIO.

Dícito iis, quo pácto tuus te séruos ludificáuerit:
'Optumas frustrátiones déderis in comoédiis.

CALLIDAMATES.

Táce parumper: síne uicissim mé loqui. auscultá.

THEVROPIDES.

Licet.

CALLIDAMATES.

'Omnium primúm sodalem mé esse scis gnató tuo.
'Is me adiit: nam illúm prodire púdet in conspectúm tuum
Própter ea quae fécit, quom te scíre scit. nunc te óbsecro,
Stúltitiae adulescéntiaique éius ignoscás: tuust.
Scís solere illánc aetatem táli ludo lúdere.
Quídquid fecit, nóbiscum una fécit: nos delíquimus.
Faénus, sortem súmptumque omnem, quí amica emptast, ómnia
Nós dabimus, nos cónferemus, nóstro sumptu, nón tuo.

THEVROPIDES.

Nón potuit ueníre orator mágis ad me inpetrábilis
Quám tu: neque illi iám sum iratus néque quicquam ei suscénseo.
'Immo me praeséute amato, bíbito, facito quód lubet;
Si hóc pudet, fecísse sumptum, súpplici iam habeó satis.

CALLIDAMATES.

Díspudet.

TRANIO.

Si istám das ueniam, quíd me fiet núnc iam?

THEVROPIDES.

Vérberibus, lutúm, caedere péndens.

TRANIO.

Tamenetsí pudet?

THEVROPIDES.

'Interimam hercle te égo, si uiuo.

CALLIDAMATES.

Fác istam cunctam grátiam:
Tránioni iám remitte hanc nóxiam causá mea.

THEVROPIDES.
'Aliut quiduis ínpetrari pérferam a me fácilius,
Quam út non ego istum pró suis factis péssumis pe
premam.

CALLIDAMATES.
Mítte quaeso istum.

THEVROPIDES.
['Illum ut mittam?] uíden ut astat fúrcife

CALLIDAMATES.
Tránio, si sápis, quiesce.

THEVROPIDES.
Tú quiesce hanc rém modo
Pétere: ego illum, ut sít quietus, uérberibus subégero.

TRANIO.
Níhil opust proféeto.

CALLIDAMATES.
Age iam síne ted exorárier.

THEVROPIDES.
Nólo ores.

CALLIDAMATES.
Quaeso hércle.

THEVROPIDES.
Nolo inquam óres.

CALLIDAMATES.
Nequiquám neuís
Hánc modo noxiam únam quaeso míssam fac causá mea.

TRANIO.
Quíd grauaris? quási non cras iam cómmeream aliam nóxiam:
'Ibi tu utrumque, et hóc et illut, póteris ulcisci probe.

CALLIDAMATES.
Síne te exorem.

THEVROPIDES.
Age ábi, abi inpune. en huíc habeto grátiam.

CANTOR.
Spéctatores, fábula haec est ácta: uos plausúm date.

BONNAE, FORMIS F. P. LECHNERI.

